
QVADRIPARTITI
VNIVERSAE
PHILOSOPHIAE
COMPENDII
PARS
METAPHYSICA.




ROMAE,
Typis Hæredum Corbelletti.
Anno MD, C, L.

# INDEX
## CAPITVM
### METAPHISICAE.

# PHILOSOPHICI COMPENDII.

## PARS METAPHYSICA

## CAPVT I.

### *De Metaphisica Natura, ac Obiecto.*



ETAPHYSICA, sic dicta, quia naturæ corporeæ limites supergressa, per omnia, quæ sunt, aut esse possunt liberè vagatur, non ad res modo spirituales, sed ad ipsum etiam Deum se ex-


tendendo; (vnde etiam Theologiæ naturalis sibi nomen inuenit:) cum aliarum omnium scientiarum principia probet, vel terminos explicando, vel deducendo ad impossibile, vel per principia quędam vniuersalissima, ac lumine naturæ notissima, qualia sunt: *Quodlibet est, vel non est: Impossibile est idem simul esse, & non esse: Totum est maius sua parte: &c.* Omnium Scientiarum prima est, ac præstantissima.

2 Eius obiectum considerationis est ens latissimè acceptum, pro vt comprahendit, non solùm ens reale positiuũ, sed etiam negationes, & entia rationis; De his enim omnibus agit. Obiectum tamen attributionis est solum ens reale, vt ens est, quia huius solùm principia, & proprietates per se inquirit; Si-

cut

cut in Physica, solius corporis naturalis principia, ac proprietates per se inuestigantur; cum enim ens reale, sub hac entis formalitate, multas habeat proprietates scitu dignas, alicuius scientiæ esse debuit obiectum, nec alterius, quã Metaphysicæ. Hæc ergo eius naturam, & proprietates inquirit.

## CAPVT II.




### *De Ente; Vbi de distinctione essentia ab existentia, & graduũ essẽtia inter se.*

1 ENs reale est omne id, cui ab intrinseco non repugnat existere; siue id, cuius cognitio intellectum non determinat ad du-

as propositiones contradicto-rias, sicut illum determinat cognitio rei impossibilis; cũ enim ens reale sit terminus quidam vniuersalissimus, ideò que per se notissimus, explicari vlteriùs non potest, nisi per cognitionem, quam in nobis experimur, dùm illud immediatè concipimus; Sic enim etiam explicare solemus pulchritudinem, similitudinem, & alia multa, dicẽdo: pulchrum esse id, cuius visio nos delectat; Simile id, quod à nobis difficile ab alio discernitur; Bonum id, cuius cognitio ad eius amorem nos excitat: &c.

2 Hæc autem ratio conuenit, non solùm Creaturis, sed etiam Deo; vtrique enim verè non repugnat existere; Deo tamen (quia non solùm non repugnat existere, sed positiuè repugnat non existere,

cum

cum sit ens à se ) ratio entis conuenit independentèr ab omni alio ; Creaturis verò solùm dependentèr à Deo, cùm existant tantùm contingentèr, ità vt possint non existere, vndè etiàm definiuntur ens ab alio.

3 Componitur ens ex essentia, & existentia; quarum prima defin ri solet, vel per ordinem ad proprietates, Primum, ac radicale principiũ omnium operationum, & proprietatum, quæ rei conueniunt; Vel per ordinem ad nostrum modum cognoscendi: Primus rei conceptus; siuè id, quod explicatur per conceptum rei definitiuum, & finè quo res concipi non potest. Altera verò definitur id, quo res est actù, & distinguitur à nihilo, siuè verificatiuum propositionis, quæ affirmat rem simpliciter esse.

 4 Hæc

4. Hæc tamen compositio est solùm metaphysica, & nō physica, quia essentia ab existentia nullo modo realiter distinguitur, non solùm in Deo, (in quo nec distinguitur formaliter, cùm Deus, vt potè ens à se, essentialiter existat, ideoquè in suo conceptù essentiali includat formaliter existentiam;) sed neque in Creaturis, licèt hæ, cum cōtingenter solùm existant, nec semper fuerint, sed fuerint aliquando merè possibiles, in suo primo conceptu, actualitatem, siue existentiam non includant, sed ab illa præscindant.

5. Ratio autem videtur esse primò, quia essentia cuiuscumque Creaturæ, dum producitur, ex merè possibili, fit actualis per se ipsam; aliquid enim habet essentia Michaelis iam producti, quod non

non habet essentia alterius Angeli merè possibilis: Hæc autem actualitas est sufficienter existentia; illi enim tribui possunt quæcunq; conueniũt existentiæ; nam per hanc, essentia est actu, & distinguitur à nihilo; per hanc, verificari potest, quòd essentia sit simpliciter extrà causas; hæc est aliquid contingens, & depẽdens à libera Dei voluntate, nihilq. assignari potest, quod existentiæ conueniat, & huic actualitati applicari non possit. Secundò, quia existentia ipsa, ex merè possibili fieri debet actualis per se ipsam; ne detur processus in infinitũ, Cur ergo per se ipsam fieri non poterit actualis etiam essentia? Tertiò denique, quia ipsa etiam existentia suam habet essentiam, cùm sua habeat prædicata essentialia, aut propriam definitionem: Si-

cut ergò hæc fieri poteſt exi-
ſtens, & non per exiſtentiam
à ſe realiter diſtinctam, ita,
ſinè exiſtentia realiter diſtin-
ctà, fieri poterit exiſtens ipſa
eſſentia.

6 Neque obſtat, quòd eſ-
ſentia ſit immutabilis, neceſ-
ſaria, & liberam Dei volunta-
tem antecedens; exiſtentia
verò ſit defectibilis, contin-
gens, & ad voluntatem Dei
liberam conſequens; nam
hoc ſolùm ſignificat, quod;
licet ens quodlibet creatum
ſit in ſe realiter defectibile, &
contingens, defectibilitas ta-
men, & contingentia illi non
conuenit, prout ſtat ſub con-
ceptu eſſentiæ, ſub quo con-
cipitur tantùm in ordine ad
ſuas proprietates, & vt illarũ
principium; ſed ſolum, pro-
ut ſtat ſub conceptu exiſten-
tiæ, ſub quo concipitur in
ordine ad cauſam efficiẽtem,
& vt

&vt extra illam; Sicut, licèt entitas Petri realiter discurrat, illi tamen non conuenit discursus, prout stat sub conceptu animalis, sed solùm, prout stat sub conceptu rationalis.

7 Essentia igitur cuiuscũq; rei creatæ nihil est aliud, quã eius entitas à nobis considerata, quatenus habet sui ideã in mente diuina, hoc est, quatenus est obiectum scientiæ, per quam Deus cognoscit, quòd, si produceretur, non includeret duo contradictoria, sed tales, vel tales exigeret proprietates, quæ appellari solet scientia simplicis intelligentiæ; existentia verò est eadem entitas considerata quatenus est effectus diuinæ voluntatis efficacis, à qua efficiẽter determinatur ad habendum verùm esse diuersum ab esse Dei.

8 Hæc autem nominum diuersitas oritur ex diuerso modo, quo ipsam entitatem cognoscimus; cum enim de rebus loqui non possimus, nisi eo modo, quo illas cognosci. mus, nomina significant res, non prout sunt in se ipsis, sed prout nostris substant cognitionibus. Cum ergò entitas à nobis concipitur esse solum in aliqua specie determinatà entis, & distingui à chimæra, appellatur essentia; cum vero concipitur esse extra suas causas, siue in rerum natura, & distingui à nihilo, appellatur existentia.

9. Fundamentũ verò, quod intellectus habet ad diuersos istos conceptus de eadem entitate formandos, est ipsa rerum creatarum imperfectio, & contingentia; cum enim videamus, res creatas aliquãdo esse, aliquando verò non esse

esse; sicut videmus aërem aliquando esse lucidum, aliquando verò non lucidum, habet intellectus fundamentum concipiendi res creatas ut indifferentes ad existendũ, & non existendum; sicut aër realiter est indifferens ad lucẽ habendam, vel non habendã, per existentiam verò determinari ad existendum; sicut aër à lumine realiter determinatur ad esse lucidum; hoc tamen realiter nihil est aliud, quàm, creaturas habere esse, non necessariò, & à se, sed solùm contingenter, & ab alio.

10 Ex hoc autem sequitur primò, potentiam, quam essentia habet ad existendum, non esse potentiam physicã, sed metaphysicam, hoc est, meram non repugnantiam, non est enim ad actum realiter distinctum, sicut esse debet potentia physica. Secundò,

dò, essentiam respectu exi-
stentiæ habere prioritatem
aliquam similem illi, quam
habet animal respectù ratio-
nalis; ex eo enim, quòd ali-
cui non repugnet existere, nõ
licet inferre, quòd actu exi-
stat; sicut ex eo, quòd aliquid
sit animal, inferre non licet,
quòd sit rationale. Tertiò crea
turas merè possibiles nullum
habere esse in se ipsis, sed esse
solum obiectiue, vel in diuina
omnipotentia, in qua conti-
nentur, & à qua denominan-
tur possibiles; vel in scientia,
per quàm à Deo cognoscun-
tur non repugnare, siue esse
tales, vt, si ponerentur, in-
tellectum non determinarent
ad duas propositiones contra
dictorias, hoc enim necessa-
riò requiritur, vt sint obiectũ
diuinæ omnipotentiæ, ab ea-
que denominentur possibiles;
nam, sicut, non ideo chime-

ra est impossibilis, quia Deus illam producere non potest, sed potius è contra. Deus chimæram producere nō potest, quia ipsa, cum inuoluat prædicata contradictoria, est incapax productionis; ita è cōtra, non ideò Angelus est possibilis, quia Deus illum potest producere; sed potius ideò Deus Angelum producere potest, quia Angelus si poneretur non includeret prædicata contradictoria. Quartò denique, propositiones, quæ dicũtur æternæ veritatis, quia verificantur, præscindendo ab omni tempore, esse omnes virtualiter hypoteticas; cum enim dicitur: *homo est risibilis*: significatur solùm, quod homo exigit risibilitatem, quando existit.

11 Sicut ens quodlibet cōponitur ex essentia, & existētia; ita essentia quælibet ex plu-

pluribus integratur perfectionibus; in Petro enim datur, & vita, ſicut datur in plantis; & animalitas, ſicut in brutis; & rationalitas, ſicut datur in Angelis; & propria indiuiduatio, per quam ab omnibus diſtinguitur.

12 Huiuſmodi tamen perfectiones nemine cogitante inter ſe actu non diſtinguuntur; primò quia iſtius diſtinctionis nulla eſt neceſſitas, cũ omnia per hoc ſufficiẽtiſſime ſaluari poſſint, quod eadem Petri entitas accipiatur, modò cum diſcurſu, vel cognitione, per quam cognoſcitur in ordine ad diſcurſum, & ſic appelletur rationalitas; modò cum ſenſatione, aut cognitione, per quam cognoſcitur in ordine ad ſenſationem, & ſic appelletur animalitas; ſicuti ijdem cibi, modo accipi poſſunt cũ tempore meridiano,

&

& appellari prandium, modò cum vespertino, & vocari cœna,

13 Secundò, quia nullum est huius distinctionis inditiũ omnes enim perfectiones sũt inter se, per quamcumque potentiam, inseparabiles, nec relatiue opponuntur; hæc autem duo solum dantur distinctionis inditia; nam, etiam qui duas in composito admittunt vniones partiales inseparabiles, & relatiue non oppositas, illas ponunt in subiectis, quæ separari ab inuicem possunt.

14 Tertiò, quia nulla daretur essentia simplex, & vna: quælibet enim esset solùm cumulus aliquis plurium perfectionum eandem habentiũ existentiam; sicut Ciuitas est vnus cumulus plurium domorum intra eadem mœnia existentium. Hoc au-

Deo saltem, admitti omninò non potest, cum infinitæ illius simplicitati directè opponatur, Deus enim sine hac perfectionum multiplicitate per fectiori modo est simplex, quàm cum illa: simplicitas autem; cum sit perfectio simpliciter simplex, modo perfectissimo est in Deo. Sicut ergò in Deo misericordia, nemine cogitante, non distinguitur à iustitia, ità neque in Petro animalitas erit a rationalitate nemine cogitante distincta.

15 Quartò, quia sequeretur, quamlibet etiam ex illis perfectionibus esse similiter cõpositam ex alijs perfectionibus partialibus in infinitũ; sicut enim essẽtia Solis ex virtute illuminatiua, & calefactiua componitur; ita virtus [illegible] calefactiua esset ex pluri[illegible] [illegible]tutibus calefactiuis cõ posi-

posita, quarũ vna esset productiua caloris A., alia caloris B. & sic de cœteris: Vnde, sicut calores producibiles sunt infiniti, ita virtus ipsa calefactiua ex infinitis virtutibus esset actu composita. Quemadmodum igitur in Sole virtus calefactiua est perfectio aliqua simplex, & indiuisibilis; ita simplex, & indiuisibilis esse poterit entitas ipsa solis, vel Petri.

16 Quintò denique, quia aliquæ saltem perfectiones nemine cogitante inter se distingui non possunt, in Petro enim rationalitas nemine cogitante distingui nõ potest à gradu entis, cum rationalitas, sub quocumque conceptu concipiatur, non sit nihil, sed ens, & recedens à nihilo: Cur ergò aliæ etiam perfectiones hoc solùm modo inter se distingui non poterunt?

17 Neque obstat, quod singulæ perfectiones diuersis definitionibus definiantur; nã definitionũ diuersitas arguit essentiarum diuersitatem solùm, quando definitiones sunt adæquatæ; res enim quælibet, sicut habere non potest, nisi vnam essentiam, ita habere non potest, nisi vnicam definitionem adæquatam, plures autem habere potest inadæquatas, quia pluribus cognitionibus inadæquatis concipi potest. Quod verò entitas Petri simul sit imperfectè similis, & dissimilis equo; nullum est absurdum: Nam eadem etiam animalitas Petri, est simul equi animalitati similis, quatenus est principiũ sentiendi, sicut illa, & eidem dissimilis, quatenus potest cũ rationalitate componere hominem, quod illa non potest.

18 Non solum autem perfectio-

sectiones eandem essentiam constituentes distingui inter se non possunt ex natura rei, sed neque distinctione aliqua virtuali intrinsecà, ita, vt singulæ terminare possint cognitiones diuersas, & per illas fieri plures actu; sicut partes quantitatis potentia solùm, & virtualiter inter se distinctæ, esse possunt terminus diuersarum diuisionum, vel assignationum, & per illas fieri plures actu.

19 Ratio autem videtur esse primò; quia distinctio ista gratis omninò ponitur, cum omnia sufficientissimè saluari possint per solam eiusdem rei æquiualentiam ad plures entitates diuersas; ex eo enim, quòd Petrus æquiualeat Angelo, & bruto, quatenus solus, & discurrere potest, sicut Angelus, & sentire, sicut brutū; terminare sufficienter potest duas

duas cognitiones diuersas; quarum vna sit Angelo communis, altera bruto, nàm, sicut ad entitatem sequitur intelligibilitas, ità ad multiplicem entitatem sequitur virtus terminandi plures cognitiones diuersas; quas tamen omnes, & singulas terminat tota entitas, cùm sit realiter indiuisibilis; sicùt, quia est realiter indiuisibilis, tota producit, non solùm omnes suas operationes, sed etiàm singulas.

20 Secundò, quia gratis ponitur in potentijs intentionalibus virtus attingendi, in entitate realiter indiuisibili, vnam perfectionem, & non aliam; si enim potentia generatiua virtutem nō habet vniendi realiter corpori animā secundū gradū sensitiuum, & non secundum rationalem, cur intellectus cognoscere

rea-

realiter poterit in entitate Petri solam animalitatem, & non rationalitatem? quòd enim de rationalitate reddere tunc non possit rationem, non arguit, quòd rationalitatem nullo modo cognoscat, sed solùm, quod ipsam Petri entitatem tunc non cognoscat per cognitionem comparatiuam illius cum Angelo, vel cum discursu, sed solùm cum sensatione, vel cum bruto.

21 Tertiò, quia, admissa semel hac virtuali distinctione inter perfectiones eiusdē essentiæ, similis distinctio negari non potest inter plures partes singularum perfectionum; si enim in Sole virtus illuminatiua virtualiter distinguitur à calefactiua, cur etiā in ipsa virtute calefactiua virtus productiua caloris A. virtualiter non distinguetur à virtute productiua caloris B., non

non minus enim duæ istę virtutes terminare possunt duas cognitiones diuersas, quam illæ? Sicut ergo inter has, nulla datur distinctio virtualis intrinseca, sed, per quamlibet cognitionem, tota semper virtus calefactiua cognoscitur, licet non eodem semper modo, nec cum ijsdem semper effectibus; ita nulla dabitur distinctio inter virtutem illuminatiuam, & calefactiuam, sed, per quamlibet cognitionem, tota semper entitas Solis cognoscetur, licèt non eodem semper modo, nec in ordine ad easdem semper operationes.

22 Quartò, quia, si inter Petri animalitatem, & rationalitatem, daretur distinctio virtualis, de eodem Petro verificarentur prædicata contradictoria, non solùm extrinseca, qualia sunt: cognosci, & non

non cognosci: sed etiam intrinseca, qualia sunt: cognoscere, & non cognoscere: intellectus enim animalitatem cognosceret, & non cognosceret rationalitatem, quæ in Petro sunt realiter idem.

23 Quintò denique, quia, admissà distinctione virtuali intrinsecà, forma syllogistica nihil concluderet; in hoc enim syllogismo,

*Omne animal est sensitiuum;*
*Omne rationale est animal;*
*Ergò omne rationale est sensitiuum.*

concessà maiori, & minori, negari posset consequentia, dicendo, quòd sensitiuum conuenire potest animali, & non rationali, propter virtualem illorum distinctionem, sicut, propter eandem distinctionem, cognosci potest animal non cognito rationali.

24 Perfectiones igitur eadē

dem essentiam constituentes, inter se formaliter solùm distinguuntur ,hoc est ; per denominationem extrinsecam à diuersis cognitionibus imperfectis, ac præcisiuis , quibus ipsa essentia cognoscitur. Tum quia diuersæ cognitiones , quatenus diuersæ sunt, denominare possunt entitaté extrinsecè diuersam , sicut, quatenus cognitiones sunt , illam denominant extrinsecè cognitam. Tum quia per solam conceptuum diuersitaté sufficienter saluatur, quòd de eodem non verificentur prædicata contradictoria ; & explicatur ; quomodò homo per animalitatem non intelligat, & per rationalitatem non sentiat: quomodo animalitas non sit rationalitas &c; hæ enim, & similes propositiones significant solùm,quòd homo, pro vt stat sub conceptu

ptu animalis, non certificat nos de discursu; sicut de illo nos certificat, pro vt stat sub conceptu rationalis; quod entitas Petri, vel ratione diuersarum operationum, quas cõnotat, vel diuersarum cognitionum, quibus substat, à se ipsa distinguitur; Sicut prandium, ratione diuersi temporis, quod connotat, distinguitur à cæna.

25 Tum denique, quia, si potest eadem anima rationalis ita pluribus corporis partibus per plures vniones partiales, & inadæquatas, vniri, vt singulis vniatur tota, licèt non totaliter, ab ijsque denominetur, pars capitis, vel cordis; cur eadem etiam Petri entitas ita cognosci non poterit per plures cognitiones partiales, & inadæquatas, vt à singulis cognoscatur tota, licèt non totaliter, ab ijs-

que denominetur animal, vel rationale; non minùs enim anima rationalis eſt realiter indiuiſibilis, & æquiualenter diuiſibilis, (quatenus ſola in formare poteſt plures, ac diuerſas corporis partes, ſicut poſſunt plures, ac diuerſæ partes animæ diuiſibilis;) quàm entitas Petri realiter indiuiſibilis ſit multiplex æquiualenter, (quatenus facere poteſt ſola plures operationes diuerſas, ſicut poſſunt plures entitates diuerſæ,) nihilque dici poterit de entitate Petri in ordine ad terminandas cognitiones partiales diuerſas, quod proportionaliter applicari nō poſſit animæ rationali in ordine ad terminandas, vel vniones partiales, vel corporis partes diuerſas.

26 Atque hinc apertè deducitur, quod, ſicut anima rationalis, licèt plures corporis

ris partes informet, ficut faciunt plures partes alterius animæ diuifibilis, eas tamen non eodem modo informat, fed modo longè diuerfo, fcilicet, indiuifibiliter, ita vt tota informet, non folùm omnes, fed etiam fingulas, quod facere non poffunt partes animæ diuifibilis; ita entitas Petri, licèt plures terminet cognitiones partiales, & inadæquatas, ficut illas terminant plures entitates, quibus ipfa æquiualet, illas tamen terminat modo longè diuerfo, fcilicèt, cum omnimoda indiuifibilitate, ita vt tota terminet, non folùm omnes, fed etiam fingulas, quod facere non poffunt ipfæ entitates diuerfæ.

27 Cognitiones autē præcifiuę dicuntur partiales, & inadæquatæ, non quòd partem entitatis cognofcant, &

partem non cognoſcant, ſed quia, licèt totam cognoſcant, illam tamen diſtinguunt ab aliquibus ſolùm, & non ab omnibus entitatibus, à quibus ipſa eſt naturaliter diſtinguibilis; ſicut vnio, per quã anima rationalis vnitur cordi, dicitur partialis, non quòd cordi vnam animæ partem vniat, & non aliam, ſed quia, licèt totam animam vniat, illam tamen aliquibus ſolùm materiæ partibus vnit, non verò omnibus, quibus ipſa eſt naturaliter vnibilis.

28 Denique, dum dicitur; *per cognitionem animalis non cognoſcitur rationalitas*; ſignificatur ſolùm, quòd eo cõceptu cognoſcitur tota entitas in ordine ſolùm ad ſenſationem, & no in ordine ad diſcurſum; ſimiliter, dum videtur albedo, cognoſcitur etiam id, quod eſt relatio tranſcendentalis ad

Deum

Deum, licèt non cognoſcatur conceptu proprio relationis tranſcendentalis, hoc eſt, cõceptu nos certificante, illam eſſe relationem tranſcendentalem ad Deum, quia ad hoc requiritur, vt cognoſcatur etiam Deus, qui per viſionẽ, & cõceptum albedinis non cognoſcitur.

29 Dum ergò diuerſas perfectiones in eadem entitate cognoſcimus, eaſque diuerſis nominibus appellamus; nomina illa, non tam ſignificãt perfectiones in ſe diuerſas, quàm eandem entitatem diuerſis cognitionibus cognitã; cum enim de rebus nunquã loquamur, niſi eo modo, quo illas cognoſcimus, nomina res non ſignificant, niſi vt veſtitas noſtris cognitionibus. Sicut igitur eandem rem pluribus, ac diuerſis cognitionibus imperfectis cognoſcimus

ita illam pluribus, ac diuersis nominibus appellamus.

30 Fundamentum autem, quod intellectus habet ad plures, & diuersos conceptus de eadem entitate formandos, est, ex parte quidem obiecti, vel eiusdem rei æquiualentia ad plures entitates, vel virtus productiua plurium operationum; hinc enim fit, vt illam comparare possit, modò cum vna ex illis entitatibus, quibus æquiualet, modò cum alia, modò cum vna ex illis operationibus, quas potest elicere, modò cum alia; atque ita per cõceptum animalitatis entitas Petri comparatur cum bruto, per conceptũ verò rationalitatis cum Angelo: Et medicina, quæ cõparata cum sanitate, cuius est causa, placet; comparata cum amaritudine, quam similiter causat, displicet.

31 Ex parte verò intellectus, est diuersitas specierum, quibus ille vtitur ad eandem rem cognoscendã; hinc enim fit, vt eadem Petri entitas per species sensationis concepta, dicatur animal, concepta verò per species discursus, dicatur rationalis. Immo esse potest etiam diuersus modus, quo eadem species potentiæ cognoscitiuæ applicatur; eadem enim species albedinis in magna distantià causare solũ potest cognitionem de illa, adeò confusam, vt ex vi illius distingui non possit à nigredine, cœterisque coloribus, & tunc cognitio illa dicitur propria coloris; in parua verò distantia causare potest cognitionem magis distinctam, ex vi cuius distingui possit à cœteris omnibus coloribus, & hæc dicitur cognitio propria albedinis.

# CAPVT III.

## *De entis proprietatibus.*

1 ENs reale, licet veras proprietates non habeat, quæ ad illud realiter consequantur, quia nihil reale dari poteſt, quod ſit ab ente realiter diſtinctum, ſed quidquid realiter eſt, ens eſt; habet tamen attributa quædam, & prædicata, à ſe diſtincta formaliter, quæ, cum ad primum eius conceptum conſequantur, de eoque vniuerſaliter prædicentur, ac per cauſam ſaltem virtualem demonſtrentur, appellari aliquo modo poſſunt proprietates. Hæc autem ſunt, vnum, verum, & bonũ. Tũ quia ad hæc tria, alia omnia reduci poſſunt; tũ

quia

quia hæc tria solùm ad entis naturam inuestigandam, peculiarem habent vtilitatem, cum varias explicẽt perfectiones, quæ illi per comparationem ad alia entia conueniũt.

2 Cum enim quidquid est eo ipso quòd est, & ab entitate cuiuscumque alterius rei actu distinguatur, & ab intellectu aliquo saltem diuino, cognosci possit prout est in se, & à voluntate aliqua amari (duæ enim istæ potentiæ solæ, vt potè vniuersales, attingere possunt omne ens:) sequitur, eandem entitatẽ, quatenus est comparabilis cum alijs omnibus entitatibus, à quibus actu distinguitur, dici vnitatem; quatenus verò est comparabilis cum aliquo intellectu, à quo cognosci potest, sicut est in se, dici veritatem; quatenus denique est comparabilis cum voluntate

aliqua, à qua poteſt amari, appellari bonitatem.

3 Vnũ ergò nihil eſt aliud, quàm ipſum ens connotans negationem diuiſionis in ſe, quæ negatio ſola ad omne ens neceſſariò conſequitur. Verũ eſt idem ens, quatenus connotat intellectum potentem illud cognoſcere prout eſt in ſe. Et Bonum idem ens, prout connotat voluntatem illud amare potentem. Per hæc autem connotata, ſingula entis attributa, tum inter ſe, tum ab ipſo ente diſtinguuntur, & vnum aliud præcedit; vnitas enim, inter cœteras entis paſſiones, eſt omnium prima, quia negatio diuiſionis, quam connotat, eſt enti intrinſeca, cum alia connotata ſint illi ſolùm extrinſeca; veritas verò præcedit bonitatem, quia intellectus ab illa connotatus præcedit voluntatem.

4 Hinc

4 Hinc autem sequitur vnũ definiri id, quod est indiuisũ in se, & diuisum à quolibet alio; eo enim ipso, quod in aliquo non inuenimus pluralitatem illam, quæ est in binario; (in quacunque tandem ratione hoc contingat;) illud eo ipso in ea ratione dicimus vnum; & Petrus dicitur vnus homo, quia in illo non reperitur pluralitas, quæ in binario hominũ reperitur: vnde etiã per Aristotele, *quæcũque nõ habẽt diuisionẽ quatenus nõ habẽt diuisionẽ, eatenus vnũ dicuntur.* Pluralitas autẽ, quę ab vnitate negatur, non est pluralitas quomodocumque, sed pluralitas, vt identificata cum re, quæ dicitur vna; neque enim Petrus exigit vt in rerum natura non existant plures homines, sed illos solùm exigit sibi non habere identificatos.

5 Denique vnitas, est di-

uiſio, ſiuè ſeparatio à quolibet alio; quia eo ipſo, quòd entitas aliqua in ſe non habet pluralitatem, cum quacumque alia re pluralitatem facit, ac numerum, & conſequenter à quocunque alio eſt ſeparata, ac diuiſa; ſimilique modo exigit etiam ſeparari per intellectum. Hinc autem ſequitur vnum, ſicut enti aliquid addit, (cùm de illo non omninò identicè prædicetur, vt gladius de enſe, ſed tanquam eius paſſio;) ita illi non addere aliquid poſitiuum, neque realiter, neque formaliter ab illo diſtinctum; non realiter, quia hoc poſitiuum, vel haberet eſſe reale, & ſic iam eſſet intrinſecè ens, ideoque non diſtinctum ab ente; vel non haberet eſſe reale, & ſic nihil eſſet, vnde enti nihil addere poſſet; non formaliter, quia omne poſiti-

uum est formaliter ens, nec præscindere ab eo potest. Immò illud positiuum, vel esset vnum per se ipsum, vel per aliquid superadditum, si hoc secundum, daretur processus in infinitum; si primum, cur ipsum etiam ens eodem modo esse non potest vnum per se ipsum? cum præsertim Deus per se ipsum sufficienter sit vnus, & non per aliquid positiuum à se distinctum. Angelus verò ita est vnus per suā positiuam simplicitatem, & homo per positiuam partium compositionem, vt ipsa simplicitas, & partium compositio non sint aliquid positiuū ipsis entibus superadditum, sed illa essentialiter constituant. Quarè Vnum superaddit enti negationem solùm diuisionis, & pluralitatis, sicut cœna cibis superaddit tempus vespertinum, & simpli-

citas rei ſimplici negationem compoſitionis; ens enim fit formaliter vnum per negationem identitatis, & cum binario, & cum quolibet alio ente; ſicut vna gutta aquæ fit formaliter vna per priuationem identitatis cum alia gutta; identitas tamen, cuius vel negationem, vel priuationem includit vnitas, ſemper eſt aliquid poſitiuum

6 Veritas in eſſendo, quæ eſt entis proprietas, non conſiſtit in rei conformitate cum ſuis principijs intrinſecis; cum enim in huiuſmodi principijs non detur proceſſus in infinitum, ad aliqua tandem principia deueniendum eſt, quæ ſint prima; Hæc ergò, cum alia non habeant principia, quibus poſſint conformari, nō haberent veritatem.

7 Conſiſtit igitur veritas tranſcendentalis in rei confor

mi-

mitate cum sui cognitione, præsertim diuina; res enim quæcumque talis est, qualis est eius Idea, & exemplar, quod supremus Artifex habet in mente. Vnde etiam propositio falsa, licet veritatem non habeat in repræsentando, est tamen vera veritate transcendentali, quia conformitatem habet cum Idea, quam de falsa propositione habet Deus. Hæc autem conformitas non est relatio aliqua, vel realis, vel rationis, quam ens dicat ad sui cognitionem veram: non realis, quia ens etiam non existens cognosci potest sicut est, & consequenter esse suæ cognitioni conforme; & tamen ad illam referri realiter non potest, cum actu non existat: non rationis, quia ens est verum, etiam nemine de illo cogitante.

8 Quare conformitas est

conceptus quidam connotatiuus, dicens in recto ipsum ens, & in obliquo connotans eius cognitionem veram; ab hac enim ens sufficienter denominari potest cognoscibile pro vt est, siue apparens, quod est; sicut à cognitione falsa denominatur cognoscibile aliter ac est, siue apparēs, quod non est, eodem autem modo sunt denominationes connotatiuæ, apparere quod est, esse obiectum cognitionis veræ, fundare veram cognitionem, habere aptitudinem, ac potentiam terminandi cognitionem veram, & similia; quia istæ omnes denominationes realiter nihil sunt aliud, quàm ipsa rei conformitas, cum cognitione vera, vel actuali, vel possibili.

9 Denique ens, licèt respectu intellectus diuini ita sit verum, vt non possit esse falsum

ſum, ſicut eſſe poteſt reſpectu intellectus creati, cum Deus cognoſcere res non poſſit aliter ac ſunt, ſicut poteſt intellectus creatus; eſt tamen verum etiam per ordinem ad in tellectum creatum; tum quia ab intellectu etiam creato eſt cognoſcibile pro vt eſt in ſe; tum quia, ſi per ordinem ad intellectum creatum dici poteſt falſum, cur dici etiam nõ poterit verum, cum intellectus creatus cognoſcere res poſſit, tam cognitione verà, quàm falsà?

10 Vero opponitur falſum, vt albo nigrum: falſum autẽ nihil eſt aliud, quàm ipſum ens apparens, quod non eſt, ſiuè cognoſcibile cognitione falſa; cum enim vnum ens habeat ſæpè accidentia accidentibus alterius entis ſimilia, intellectui humano fundamentum præbet iudicandi, quod ſit

ſit illud aliud; atque ita aurichalcum propter ſimilitudinem, quam habet cum auro, iudicatur eſſe aurum, cum aurum non ſit. Ab hac ergò cognitione, ens, quod falsò cognoſcitur, denominatur falſum, ſicuti cibi à tempore veſpertino denominantur cœna.

11 Bonum, quod eſt tertia entis proprietas, idem eſt, ac ipſum ens habens perfectionem ſibi debitam, & cõuenientem, ratione cuius eſt amabile; vnde etiam definitur eſſe id, quod omnia appetunt; hęc autem amabilitas conſiſtit in conuenientia, & proportione quadam, quã ipſum ens habet cum voluntate aliqua, vel actuali, vel poſſibili: Sicut veritas conſiſtit in eius conformitate, ac proportione cum aliquo intellectu; eo enim ipſo, quòd ali.

liquid habet perfectionem sibi debitam, ac conuenienté, est amabile; vnde nihil èst, quod suum esse non appetat.

12 Præter hoc tamen bonum, quod dicitur absolutum, quia est bonum in se, datur etiam aliud bonum, quod dicitur respectiuum, quia alteri est bonum, & adæquatè diuiditur in, honestum, delectabile, & vtile. Hoc autem non est entis proprietas; quia, licèt quodlibet ens, eo ipso, quod est, alicui sit bonum, & conueniens, (quomodo Deus est bonus Creaturis, quas producit, & Creaturę, extrinsecè, saltem sunt bonæ Deo, quem manifestant; substantia est bona accidentibus, quas sustentat, & accidentia substantiæ, quam perficiunt; immò ipsi etiam actus moraliter mali sunt boni, tam habitibus, quos causant, quàm

mo-

motibus externis, quos imperāt; actibus a quibus cognoscuntur; & subiecto in quo recipiũtur:) Hoc tamē conuenit etiā priuationi; nā carētia doloris, & tristitię est nobis bonæ sicut dolor est malus; & priuatio caloris est aquæ cõueniés, sicut calor est disconueniens.

13 Similiter, neque bonũ, pro vt idem est, ac aliquid absolutè, & in omni genere perfectum, est entis proprietas, quia omni enti non conuenit; Solus enim Deus per per suam essentiam est simpliciter, & absolute perfectus; Creaturæ verò solùm per accidentia, quorum aliquo, si careant, dicuntur malæ, ac imperfectæ.

14 Conuenientia autem cum appetitu, à qua ens habet, vt sit formaliter bonum, non est relatio aliqua, vel realis, vel rationis, per quam re-

referatur ad voluntatem; sed est denominatio quædam cõnotatiua dicens in recto ipsũ ens, & in obliquo connotans eius amorem, vel actualem, vel possibilem; Sicut conformitas cum intellectu vero est ipsum ens veram sui cognitionem connotans; Conuenientia enim cum voluntate idẽ est, ac amabilitas, siuè dignitas amoris; amabilitas autem est ipsum ens connotans eius amorem, vel actualem, vel possibilem; Sicut enim ens constituitur obiectum voluntatis per connotationem ipsius voluntatis; ita constituitur amabile, siue obiectum amoris per connotationem ipsius amoris.

15 Bono opponitur malũ, vt tenebræ luci; sicut enim res dicitur in se bona à perfectione sibi debita, ac conuenienti, ratione cuius allicere

po-

poteſt volũtatem ad ſui amorem; ita dicitur in ſe mala à defectu, ſiue carentia talis perfectionis. Quarè, malum abſolutum conſiſtit in aliquo negatiuo, ſcilicèt in carentia ipſius entitatis; licèt malum reſpectiuum, hoc eſt, id, quod alteri eſt malum, conſiſtere poſſit, non ſolum in aliquo negatiuo, ſed etiam in poſitiuo; non solùm enim priuatio frigoris eſt aquæ diſconueniens, ſed etiam calor; hæc autem diſconuenientia, nihil eſt aliud, quàm ipſa rei perfectio, pro vt connotat in alio conditionem aliquam, ratione cuius illi repugnat; ſicut conuenientia eſt eadem perfectio, quatenus conditionem aliquam connotat, ratione cuius illi eſt debita; vnde eadem entitas reſpectu diuerſorum eſſe poteſt conueniens, & diſconueniens; bona & mala.

# CAPVT IV.

## *De ente creato, & increato.*

1 Explicata naturà, ac proprietatibus entis in genere, explicandæ superſunt eius ſpecies. Diuiditur ergo Ens primò, in increatum, & creatum. Increatum eſt ſolus Deus, qui dicitur ens primum, quia ab alio nō habet eſſe, ſed à ſe; vnde omni caret limitatione, & eſt infinitè perfectus, ſimpliciter neceſſarius, immortalis, æternus, immenſus, intellectualis, omnipotens, ſapientiſſimus, omnia in ſe continens bona, prima omnium cauſa, ac finis vltimus, & ſupremus omnium Dominus.

2 Hunc dari, non ſolùm de fide eſt certum, ſed lumi-

ne etiam naturali ex Creat-
ris euidenter ostenditur, si
nim ex pulcherrima Dom
euidenter colligitur Archit
ctus, & ex statua Artifex, c
ex admirabili hac rerũ cre
tarum dispositione, ac ordi
colligi euidenter non pote
dari Deum? Solus ergò in
piens, non palam, sed in c
de suo dicere potest, non e
Deus.

3 Præterea, cum res si
gulæ, immò etiam tota ha
rerum vniuersitas potuerit e
se, & non esse (neque enim
hæc maiorem habet necess
tatem essendi, quàm hab
ant res singulæ, quæ existun
cum ipsa rerum Vniuersit
nihil sit aliud, quàm res si
gulæ existentes) præter tot
hanc rerum vniuersitatem
admittendum necessario e
aliud ens, à quo omnia fu
rint determinata ad existe
dum,

nihil enim determinari à se
ipso potest; huiusmodi autem
ens esse debet primum, & cõ
sequenter per se ipsum essen-
tialiter,& necessariò existens,
ne detur processus in infinitũ;
Nam hic, in causis per se su-
bordinatis, euidenter impli-
cat, quia eo ipso nulla causa
esset ad agendum sufficiens;
sicut enim in horologij rotis,
quamuis essent infinitæ, nulla
tamen esset ad mouendam
aliam sufficiens, nisi, preter
omnes, daretur pondus ali-
quod, quod aliquam moue-
ret non motum; ita in causis
per se subordinatis, nulla es
set ad agendum sufficiens, nisi
preter omnes, daretur causa
aliqua principalis illas mo-
uens non mota, nec alteri su-
bordinata. Hæc ergò prima
rerum omnium causa, dicitur
Deus.

4 Reliqua verò omnia en-

tia (quorum pleraq; dari, patet sensu) dicuntur creata, & secunda, quia suum esse habent à Deo, ab eoque essentialiter pendent; vnde etiam contingenter tantùm existũt, suntque in omni genere finita, ac defectibilia, & aliquã semper potentialitatem, ac imperfectionem habent admixtam.

5 De primo autem istorũ entium conceptu est, maxima, ac tota subiectio possibilis respectu Dei; cùm enim sint essentialiter ens ab alio, existere non possunt, nisi dependenter à libera Dei voluntate, à qua proinde, sicut essentialiter dependent in ordine ad existendum, ita multò magis pendere debent in ordine ad alia omnia, quæ ad existentiam pertinent, & aliquam inuoluunt contingentiam, alioqui Deus non esset per-

perfectissimus eorum Dominus; tota verò illa subiectio est possibilis in Creatura respectu Dei, quæ eius prædicatis essentialibus, aut proprijs non opponitur, nec illa destruit; illa autem subiectio prædicatis rei essentialibus nō opponitur, quæ, vel cum illis in aliquo indiuiduo reperitur actu coniuncta, vel nullum sequitur absurdum, si si coniungatur; Sic enim, quia inter prædicata essentialia corporis, quod de facto datur, nullum reperitur, ratione cuius illi repugnet, de vno loco in alium à Deo moueri, rectè colligimus, mobilitatem, siue non repugnātiam ad motum localem, esse subiectionem in corpore possibilem respectu Dei, ideoque esse de primo corporis conceptu non minùs, quam sit, esse ens creatum; ex quo
 de.

deinde vlterius inferimus, corpus supernaturaliter immobile implicare contradictionem, quia immobilitas opponitur mobilitati, quæ, cum sit subiectio, in corpore, possibilis respectu Dei, est de eius primo conceptu, ideoque conuenit omni.

6 Ex hoc autem principio sequitur primò, dari in Creaturis potentiam obedientialem, non solùm passiuam, sed etiam actiuam in ordine ad illos omnes effectus, qui à suis causis essentialiter non pendent, & aliunde sunt possibiles; posse enim Deo obedire in omnibus, quæ non implicant contradictionem, ad rationem entis creati non minùs necessariò cõsequitur, quàm ad hominem risibilitas; potentia autem obedientialis actiua nihil est aliud, quàm non repugnantia, vt ali-

aliquid cum Deo coniungatur, ab eoque assumatur ad aliquid supra suas vires producendum, eo modo, quo intellectus per lumen gloriæ eleuatur ad Deum videndum; quod tandem nihil est aliud, quàm posse Deo obedire. Quòd vero ens creatũ, quod à Deo assumitur ad aliquid producendum, nullam habeat cum effectu producendo proportionem, non obstat; nam à Deo assumitur solùm, vt instrumentum, quod cum effectu, præsertim supernaturaliter producendo, nullam habere debet proportionem; immò, quò minus Creatura, quæ assumitur, est effectui producendo proportionata, eò perfectius Deo obedit; Deus enim, per suam omnipotentiam, omnẽ illius supplet improportionem.

7 Sequitur secundò, omnia

Rei prædicata contingentia, hoc est, quæ ad primum eius conceptum essentialem non pertinent, esse ab illa realiter separabilia; eo enim ipso, quòd sunt contingentia, res nullum habet prædicatum essentiale, cui repugnet ab illis separari; vnde separabilitas ab huiusmodi prædicatis est subiectio in illa possibilis respectu Dei, & consequenter de primo illius conceptu. Atque ita colligimus realem quantitatis distinctionem à materia, quia, scilicet, quantitas nullum habet prædicatū essentiale repugnans cum separatione à materia, ex quo fit, vt separabilitas à materia sit subiectio in quantitate possibilis respectu Dei.

8 Sequitur tertiò, actioné, durationem, vbicationem, & vnionem, esse modos rei superadditos, & ab illa realiter

ter distinctos; cum enim esse ab hoc, vel illo agente, in hoc, vel illo loco, & in hoc, vel illo tempore, &c. sint prædicata rei contingentia, & ad eius essentiam non pertinentia, eo ipso res, istius subiectionis est capax respectu Dei, vt scilicèt, vel ab illo solo producatur, vel ab illo simul, & creatura, vt ponatur in hoc, vel illo loco, in hoc, vel illo tẽpore &c. nec ex tali subiectione vllum sequitur absurdum: De primo autem conceptu creaturæ est tota subiectio, cuius est ipsa capax respectu Dei.

9 Quod si actus vitales produci non possunt à solo Deo, hoc oritur, quia aliunde positiuè probatur, actualem dependentiam à potentia vitali esse de primo eorum cõceptu tanquam differentiam essentialem, & quamdiù hoc non

probatur, possessio semper stat pro diuina omnipotentia. Actio verò neque supernaturaliter pendere potest ab alio agente, nec vbicatio alio trāsferri, nec duratio poni in alio tempore, nec vnio alias partes vnire; quia, cum positiuè probetur, modos istos esse vltimas rei determinationes in suo genere, implicat illas esse vlterius determinabiles in eo genere, alioqui iam non essent vltimæ, sed daretur processus in infinitum.

10 Gradus denique superior, quamuis à differentijs inferioribus præscindat, & ex suo cōceptu sit ad illas formaliter indifferens, ab illis tamen non est realiter separabilis; tum quia differentia inferior, cum sit gradui superiori per se subordinata, & cum illo constituat essentiam, vel indiuiduū, non

non est cum re contingenter tantùm connexa, tum quia indifferentia, quam habet gradus superior ad differentias inferiores, & est solùm per intellectum, & non est de primo illius conceptu, nec est subiectio aliqua possibilis respectu Dei, inueniri enim nõ potest à parte rei animal, quod neque rationalitatem, neque irrationalitatẽ sibi habeat identificatam; quòd si semel inueniretur, implicaret eo ipso animal cũ aliquà ex illis identificatum; iam enim realis separabilitas à talibus differẽtijs esset subiectio in ipso animali possibilis respectu Dei, ideoque esset de primo eius conceptu; sicut, quia lumen, quod de facto datur, est realiter ab actione, per quam producitur, separabile, implicat lumen cum sua productione identificatũ,

& à sua causa essentialiter pẽdens.

11 Sequitur quarto, accidentia disparata, vt sunt albedo, & dulcedo, duratio, & conseruatio, actio, & vnio, & similia, identificari non posse in vna tertià qualitate; cum enim prædicata essentialia albedinis de facto separẽtur à dulcedine, iam separabilitas à dulcedine est subiectio in albedine possibilis respectu Dei, ac proinde est de primo illius conceptu; immò identificatio prædicatorum albedinis cum prædicatis dulcedinis nihil aliud faceret, quàm eximere albedinem ab ista subiectione, ita vt Deus vnā conseruare nō posset sinè alia. Per hoc tamen non negatur possibilitas alterius qualitatis æquiualentis albedini, & dulcedini in ordine ad earum effectus, eo modo, quo homo

in

in ordine ad intelligendum, & sentiendum æquiualet, Angelo, ac bruto. Verùm, qualitas ista, modo longe diuerso, effectus illos produceret, ac de facto producant albedo, & dulcedo; sicut homo diuersimodè sentit, & intelligit, ac sentiat brutum, & intelligat Angelus.

12 Sequitur quintò, causas secundas agere non posse sinè actuali cõcursu Causæ primę, huius enim subordinationis, ac subiectionis sunt capaces in ordine ad operandum, cũ illi de facto ita subordinentur in ordine ad existendum.

13 Sequitur sexto, corpora à Deo replicari posse in pluribus locis, & eundem effectũ pendere supernaturaliter posse à duabus causis totalibus; cum enim, tam corpus nullũ habeat prædicatum essentiale repugnans cum replicatio-

ne, quàm effectus cum depẽdentia à duabus causis totalibus, sequitur, replicabilitatẽ, & dependentiã a duabus causis totalibus esse subiectiones in corpore, ac effectu, possibiles respectu Dei.

14 Sequitur septimò, repugnare Angelum specie immultiplicabilem; cum enim Angelus nullum habeat prædicatum essentiale, ratione cuius illi repugnet, habere alium Angelum similem in specie, multiplicabilitas specifica est subiectio in Angelo possibilis respectu Dei, ideoque est de primo illius conceptu. Immaterialitas autẽ, licèt sit prædicatum Angelo essentiale, non est tamen cũ eius multiplicatione specifica incompossibile; quia etiam cognitio, quam de Sole habet Angelus, est immaterialis, & tamen non repugnat dari in

eodem

eodem Angelo aliam cognitionem de Sole illi omninò similem: Sicut ergò implicat Angelus essentialiter exigens, ne Deus alium Angelum perfectiorem possit producere, ita repugnat Angelus essentialiter exigens, ne producere possit alium similem. Potest tamen Angelus esse indiuisibilis, quia indiuisibilitas necessariò consequitur ad spiritualitatem, siue carentiam partium, quæ est prędicatum Angelo essentiale, nullum autem est absurdum, quòd Deus rerum essentias mutare non possit, nec facere impossibilia, sicut nullum est absurdũ, quòd mori, aut peccare non possit: hæc enim, non tam esset potentia, quàm impotẽtia.

15 Sequitur octauò, repugnare durationem permanentem, & indiuisibilem; cum enim

enim duratio nullum habeat prædicatum essentiale incompossibile cum destruibilitate, iam ex suo conceptu est capax destructionis, ideoque destruibilitas est subiectio in illà possibilis respectu Dei, & consequenter de eius primo conceptu; huic autem subiectioni opponitur permanentia.

16 Sequitur nonò, repugnare similiter vbicationem indiuisibilem; cum enim vbicatio nullum habeat prædicatum essentiale, cui repugnet diuisio, non repugnantia ad diuisioně est subiectio in illa possibilis respectu Dei, & cõsequenter de primo eius conceptu; hæc autem per indiuisibilitatem tolleretur. Neque obstat, quòd vbi angelicum sit spirituale; nam spiritualitas arguit indiuisibilitatem solùm in ordine ad subiectum,

ctum, non verò in ordine ad ſpatium; ſicut enim gratia eſſe poteſt ſpiritualis, & tamē diuiſibilis ſecundùm intenſionem, & duratio angelica ſimiliter ſpiritualis, eſſe poteſt diuiſibilis in ordine ad tempus, ita poteſt vbicatio ſpiritualis, eſſe diuiſibilis in ordine ad ſpatium.

# CAPVT V.

## *De ente ſubſtantiali, & accidentali. Vbi de ſubſiſtentia.*

1 Diuiditur ſecundò ens in ſubſtātiale, & accidentale: ſubſtantiale dicitur quidquid eſt de primo conceptu ſubſtantiæ; accidentale verò quidquid ad primum ſubſtantiæ conceptum non pertinet. Porrò ſubſtantia definitur ens per ſe, hoc eſt, ens aliquo modo à natura per

ſe

ſe intentum, quia, cum ſit primum, ac radicale principium omnium operationum, quæ ſunt in Re, ad eius conſeruationem, perfectionem, ac propagationem cœtera omnia ordinantur, & non è contra, accidens verò, quia nullo modo à natura per ſe intenditur, ſed ſolùm in ordine ad ſubſtantiam, definitur entis ens, hoc eſt, ens inſtitutum à natura ſolùm in bonũ alterius, vel id, quod eſt in alio, & non vt pars, ita enim eſt in ſubſtantia, vt illam non conſtituat, ſicut cõſtituit forma ſubſtantialis.

2 Sicut autem, in gradibus qualitatis, octauus non eſt naturaliter vlterius perfectibilis, ſed ſolùm ſupernaturaliter, ſeptimus verò perfici naturaliter vlterius poteſt per octauum, ita in ſubſtantijs, aliquæ ſunt vlterius perfectibiles natura-

tura-

turaliter, (vt sunt elementa, quæ per vnionem cum forma mixti componere naturaliter possunt mixtum, & eleuari ad operationes proprijs longè nobiliores, & partes integrales viuentis, quæ per vnionem cum anima eleuari possunt ad operationes vitales, & constituere viuens:) Aliquæ verò nõ sunt vlterius perfectibiles naturaliter, sed solùm supernaturaliter, (vt sunt mixta omnia perfecta, & in specie humanitas Christi Domini, quę, cùm totam habeat perfectionem sibi naturaliter possibilẽ, exigit alteri non vniri, nec cum alio confundi, licet per vnionem cum Verbo diuino constituere supernaturaliter possit Christum Dominum, & eleuari ad operationes diuinas.) Quælibet tamẽ ex his substantijs naturaliter existere perfecte potest, quamuis nul-

li alteri ſubſtātiæ vniatur, materia enim, non ſolùm ſub forma mixti, ſed etiam ſub formis elementorum, naturaliter quieſcit, & qualibet earū eſt contenta.

3 Huiuſmodi autem ſubſtantiæ, quamuis, dum alteri ſubſtantiæ ſunt vnitæ, non dicantur per ſe ſubſiſtere, & eſſe totum, ſed eſſe in alio, & eſſe quaſi pars, & aliquid alterius; quandiù tamen alteri non ſunt vnitæ, dicuntur ſtare per ſe, & non eſſe in alio, ſed eſſe aliquod totum ſubſtantiale ex ſe omninò completum, appellarique ſolent, ſuppoſitū, quia accidentibus quaſi ſupponuntur, & ſubſtant. Quòd, ſi ſubſtantiæ ſint rationales, appellantur etiam perſona, hæc enim à Boëtio definitur: naturæ rationalis indiuidua ſubſtantia.

4 Quælibet ergò ſubſtātia, cum

cum sit ens à naturà per se intentum, ideoque naturaliter existere perfectè possit etiam alteri substantiæ non vnita, exigit subsistentiam; hoc est, aliquid, à quo formaliter habeat subsistere, siue stare per se, & non esse in alio; hoc autē dicitur vltimus terminus, & complementum substātię; quia illam àlteri substantiæ reddit incommunicabilem, sicut figura, quia quantitatē, in qua est, reddit alteri quantitati incommunicabilem, dicitur vltimus eius terminus, & complementum; ipsa verò substantia, prout ab hoc complemento distinguitur, appellatur natura, quia est prima radix omnium operationum, quæ sunt in re.

5 Subsistentia autem à natura necessario distinguitur plusquam formaliter; Verbū enim diuinum in Incarnatione

ne

ne naturam humanã aſſu
ſit, & non ſubſiſtentiam,
communiter docet Eccle
vnam autem aſſumere no
potuiſſet, & non aliam; ſi
ſent omninò idem realiter
cut, quia in natura human
animalitas eſt realiter ide
cum rationalitate, aſſum
non potuit animalitatem,
non rationalitatem.

6 Non eſt tamẽ modus
quis ſubſtantialis, naturæ ſu
radditus, ſicut vnitas non
aliquid poſitiuum enti ſu
radditum. Primo quia nu
apparet neceſſitas ponẽdi
dum hunc ſuperadditum,
ſubſiſtentia cõſiſtere ſuffici
ter poſſit in ipſa rei entitat
ſiue naturà completa, conn
tando negationem vnionis
actualis, quam aptitudina
cum quacunque alia ſubſta
tia; ſicut vnitas conſiſtit i
ipſa rei entitate connotan
ne-

negationem diuisionis; sicut enim vnitas nihil est aliud, quàm entitas indiuisibilis, ita suppositum nihil est aliud, quàm entitas, siue natura completa incommunicabilis. Secundo, quia non apparet, cur elementa, & partes integrales viuentis, per solam negationem vnionis cum alia substantià, fieri non possint totum, siue suppositum, & indiuiduum substantiale completum, sicut, dum vniuntur cum forma mixti, per talem vnionem, fiunt pars alterius suppositi perfectioris, nempè mixti; hoc enim modo etiā aqua, per negationem continuationis cum alia aquà, sufficienter fit tale indiuiduum, dum verò alteri aquæ vnitur, per illam continuationem amittit rationem indiuidui, & fit pars alterius indiuidui maioris.

7 Ne-

7 Negatio tamen vnionis cum alia substantia, quæ cõstituit suppositum, non est sola negatio vnionis actualis; (hanc enim habet etiam anima rationalis à corpore separata, & tamen non est suppositum) sed negatio etiam vnionis aptitudinalis, hoc est, exigentiæ essendi in alio; hæc enim etiam requiritur, vt substantia habere possit rationẽ finis, in quo natura quiescat; quam negationem, quia anima rationalis separata non habet, cum semper connaturaliter exigat corpori vniri, & cum illo componere hominem, ideò propriè non subsistit, neque est suppositum; sicut non est suppositum natura humana, quæ est in Christo Domino, quia Verbo Diuino est actu vnita.

8 Negatio autem vnionis, tam actualis, quàm aptitudina-

nalis cum alia substantiâ, ita formaliter constituit suppositum, vt naturam illam, siue substantiam, quæ dicitur suppositum, nullo modo constituat, sed illam solùm denominet suppositum; sicut tempus vespertinum, comestionem nullo modo constituit, sed solùm denominat cœnā: Quarè, licèt substantia, quæ denominatur suppositum, includere in suo conceptu non possit aliquod accidens, aut aliquam negationem, ab ea tamen denominari potest, suppositum, siue alteri substantiæ incommunicabilis, sicut à negatione diuisionis denominari potest indiuidua, siue indiuisibilis.

9 Mixtum verò, quamuis fiat ex elementis per solam additionem formæ mixti, sicut viuens fit ex osse, carne, cœterisq. partibus integralibus

bus, per solam additionem animæ, non est tamen vnum aggregatum per accidens, sed vnum ens per se, quia adhuc est ens à natura primariò intentum; cùm enim ex vnione elementorum cum forma mixti resultent plures operationes, ac perfectiones bonæ mixto, habemus fundamentum dicendi, vnionem elementorum cum forma mixti, ex qua tales operationes, ac perfectiones proueniunt, & totum inde resultans, non fuisse casu facta; sed fuisse à natura per se intentam.

10 Hinc autem primò colligitur, cur Christus Dominus dicatur esse vnum ens per se; gratia verò appelletur accidens; cum enim ex vnione humanitatis cum Verbo diuino multæ resultent operationes, ac perfectiones, si-

cut

cut resultant ex vnione animæ cum corpore, vel brachij cum Petro, sequitur, compositum admirabile Christi Domini magis esse simile Petro, (qui est indiuiduum substātiale completum, & ens per se) quàm calori, qui est accidēs: gratiam verò magis esse similem calori, quàm Petro; hæc autem nomina, substantiæ, personæ, accidentis, &c., licèt primariò imposita solùm fuerint ad significandas substantias, & accidentia naturalia, secundariò tamen extenduntur etiam ad ea omnia entia supernaturalia significāda, quæ illis magis sunt similia.

11 Secundò colligitur, cur Verbum Diuinum dicatur assumpsisse naturam, & non personam; sibi enim substantialiter vniendo entitatem humanam, abstulit ab illà negatio-

gationem vnionis, à qua entitas illa denominabatur suppositum, siue totum, & homo, & posuit vnionem substantialem, à qua eadem entitas denominatur natura, siuè quasi pars, & aliquid Verbi.

12 Tertiò deniquè colligitur, quomodo in Christo Domino saluentur prædicationes quædam, in quibus prædicata propria naturæ humanæ tribuuntur Deo, & prædicata propria Dei tribuuntur homini, quæ appellari solent communicatio idiomatum; cum enim Deus dicitur pati, & homo esse infinitus; per has propositiones significatur solùm, duas illas naturas, quibus hæc prædicata immediatè conueniunt, in eodem includi toto; sicut, cum dicitur; album esse dulce, nihil aliud significatur, quàm albe-

bedinem, & dulcedinem in eodem esse subiecto.

13 Licèt autem substantia formaliter non subsistat per modum superadditum; accidens tamen reale, substantię inhæret per modū inhærentiæ à se, & à substantia realiter distinctum; cum enim existere supernaturaliter possit à substantia separatum, vt ex Eucharistiæ Sacramento colligitur, in quo quantitas remanet sinè inhærentia, per aliquid superadditum determinari debet, vt illi inhæreat; hoc autem est modus inhærentiæ, qui tamen ab accidente modali realiter non distinguitur, quia hoc, est suo subiecto essētialiter affixum, ab eoq; dependens.

# CAPVT VI.

## *De Ente ſingulari, & vniuerſali.*

1 Diuiditur tertiò ens in ſingulare, & vniuerſale. Singulare eſt, quod ita eſt ſimpliciter vnum, vt pluribus communicari non non poſſit tanquam inferioribus, nec in illa diuidi, vt Petrus; vnde etiam dictum eſt Indiuiduum; Vniuerſale verò eſt, quod ita eſt ſimpliciter vnum, vt pluribus inferioribus communicari poſſit, & ſit aptum eſſe in illis, vt natura humana, quæ ita eſt vna, vt in pluribus etiam reperiatur indiuiduis; opponũtur autem ens ſingulare, & vniuerſale, ſicut ens diuiſibile, & indiuiſibile; ſicut enim

Angelus est vnus indiuisibiliter, aqua verò vna diuisibiliter, ita singulare est vnum incommunicabiliter, vniuersale verò vnum communicabiliter.

2 Porrò, vt natura aliqua sit in essendo vniuersalis, tria necessariò requiruntur. Primò, vt sit in pluribus per identitatem; vnde eadem anima in pluribus corporibus à Deo miraculosè replicata, non propterea esset vniuersalis, quia cum illis esset tantum vnita, non verò identificata. Secundò, vt multiplicetur in illis pluribus, ita vt in singulis, numero saltem, sit diuersa; natura enim Diuina, licèt sit in tribus personis per identitatem, quia tamen in illis non multiplicatur, sed eadē numero, quæ est in Patre, est etiam in Filio, non est vniuersalis. Tertiò, vt à singulis to-

ta participetur; vnde lignum tripalmare, quamuis diuidi possit in tres palmos, non est tamen vniuersale, quia de singulis palmis verificari non potest, quòd sint lignum tripalmare, sicut de singulis hominibus verificatur, quòd sint homo.

3 Hinc fit, vt nemine cogitante dari non possit natura aliqua vniuersali à singularibus separata, quę existat, vel extra illa, vt essent ideæ, quæ Platoni communiter, licèt immerito, tribuuntur; vel ante illa in statu aliquo essentię, siuè præcisionis; cum enim natura vniuersalis nemine cogitante identificari debeat cũ suis indiuiduis, esse consequẽter non potest, neque extra, neque ante illa, quia nihil esse potest, aut extra, aut ante se ipsum. Immò, propter eamdem rationem, neque

dari

dari potest natura vniuersalis in ipsis singularibus; cum enim natura vniuersalis nemine cogitante à suis singularibus non distinguatur, consequenter non est simpliciter vna, sed multiplex, sicut singularia ipsa sunt multa, Petrus enim, & Paulus sunt simpliciter multi homines, non vnus homo; vniuersale autem esse debet vnum, & quidem simpliciter; tum quia distingui debet ab æquiuocis, quæ vnitatem habent in solo nomine; vnde etiam ab Aristotele definitur, vnum in multis, & nō æquiuocè; tum quia esse debet aliquid superius ad singularia, ad hoc, vt illis communicari possit, & de illis prædicari; tum denique, quia esse debet obiectum scientiarum, & consequenter aliquid commune; ad hoc autem requiritur, vt sit simpliciter v-

num ; nihil enim pluribus po
test esse commune , quod nõ
sit simpliciter vnum.

4 Nequè obstat, quòd Petrus , & Paulus, etiam nemine cogitante, dicantur indistincti secundùm essentiam , & consequenter vnum essentialiter; nam hoc solùm significat , Petrum , & Paulum nõ ità notabiliter inter se differre , sicut differunt Petrus , & equus ; verè tamen in entitate non minùs sunt realiter diuersi, quàm Petrus, & equus; Petrus enim nõ minus annihilari potest remanente Paulo , quàm equo .

5 Natura ergò, quæ,nemine cogitante , in pluribus indiuiduis est numero diuersa , ac simpliciter multiplex , & singularis , fit formaliter vna, & vniuersalis per intellectum illam à singularibus abstrahentem.; natura enim humana ,

na, quæ in Petro, & Paulo nemine cogitante est simpliciter multiplex, per hoc, quòd cognoscatur, præscindendo à singularitatibus, ab hac cognitione habet, vt non sit amplius multiplex, cum multiplicitas non cognoscatur, sed vna simpliciter, & pluribus communis, pro vt ad Vniuersale requiritur.

6 Neque obstat, quòd cognitio abstractiua solùm præscindat, à singularitatibus, illas non repræsentando, non verò positiuè cognoscat negationem singularitatum; nam, licèt vnitas realis habeatur solùm per negationem multiplicitatis, quia à parte rei nihil datur, quod in ordine ad hunc effectum æquiualeat negationi; vnitas tamen intentionalis, siue, quæ habetur per intellectum haberi potest, non solùm per negatio-

nem ſingularitatum poſitiuè cognitam, ſed etiam per præciſionem à ſingularitatibus; præciſio enim, cum ſingularitates non cognoſcat, in ordine ad effectum vnitatis æquiualet cognitioni, quæ negationem ſingularitatum poſitiuè cognoſceret; Ex hoc autem fit, vt ad vniuerſale non requiratur cognitio vlla reflexa, quæ negationem ſingularitatum in naturà abſtracta poſitiuè cognoſcat, ſed ſufficiat cognitio præciſiua, per quam natura ipſa immediatè cognoſcitur, ſingularibus nõ cognitis; ſic enim ens vniuerſale ſufficienter contra diſtinguitur, & opponitur ſingulari, cum Vniuerſale ſingularitates poſitiuè non includat, ſicut includit ſingulare, nec appareat ratio, cur poſitiuè earum negationem includere debeat.

7 Quam-

7 Quamuis autem vniuersale definiatur communiter, *vnum aptum esse in multis*, eius tamen essentia non consistit formaliter in ipsa vnitate, & aptitudine, sicut nec essentia singularis formaliter, consistit in eius vnitate numerica, sed in ipsa entitate, quę vnitatis numericæ est radix, natura enim abstracta concipi à nobis potest, quamuis non cõparetur cum alijs rebus, vel notabiliter diuersis, vel immultiplicabilibus, & consequenter eius vnitas, & aptitudo non cognoscatur; sicut concipi à nobis potest entitas Petri, quamuis cum alijs entitatibus non comparetur, ideoque eius vnitas numerica non cognoscatur.

8 Præterea, vnitas, & aptitudo non sunt primum prædicatum, naturæ vniuersalis distinctiuũ à cœteris omnibus,

Natura enim, antecedenter ad omnem vnitatem, & aptitudinem, per hoc præcisè, quòd sit ab inferiotibus abstracta, est sufficienter vniuersalis formaliter, cum non sit formaliter singularis, (eo quod à singularitate præscindat,) & inter singulare, & vniuersale non detur mediū, sicut nō datur inter ens indiuisibile, & diuisibile; sicut enim ens, dū diuiditur in diuisibile, & indiuisibile, diuiditur adæquatè, & per mēbra contradictoria; ita adæquate, & per membra contradictoria diuiditur, dum diuiditur in singulare, hoc est includens indiuisibilitatem, & vniuersale illam noninclu dens.

9 Denique natura abstracta non est indifferens, vt in ea concipiatur reflexè vnitas, vel diuisio, sicut esse deberet, si esset in statu quodam medio in-

inter singulare, & vniuersale, sed determinatè exigit vnitatem, sicut ignis exigit determinatè caloré, natura enim, cum ex se negationem habeat diuersitatis notabilis, si per abstractionem, a diuisionibus numericis præscindatur, ab illa negatione sufficienter denominari poterit indiuisa, & vna simpliciter.

10 Essentia ergò vniuersalis formaliter consistit in ipsà naturà abstractà, quatenus per abstractionem fit proxima radix vnitatis, & aptitudinis, sicut essentia ignis formaliter, consistit in ipsa substantia ignis, quatenus est radix caloris, & siccitatis, hoc enim est primum prædicatũ distinctiuum naturæ vniuersalis ab omnibus alijs; nam, cum natura abstracta considerari possit, vel præcisè secundum se, & quatenus est

natura

natura abstracta; vel quatenus in se nō habet notabilem illam diuersitatem, quam habent Petrus, & equus; vel quatenus non habet incommunicabilitatem cum pluribus, sicut habet Deus; vel denique quatenus habet aptitudinem, vt intellectus prædicare illam possit de pluribus, inter ista omnia prædicata naturæ vniuersalis propria; primum est, ipsa natura abstracta, quę propterea est eius differentia essentialis, reliqua verò, scilicet, vnitas, aptitudo, & prædicabilitas, sunt solùm prædicata secundaria & consequenter eius proprietates.

11 Porro vnitas, à qua natura vniuersalis denominatur vna simpliciter, non est vnitas aliqua ficta, consistens in negatione differentiarum inferiorum, quæ in natura ab-

stra-

ſtracta ab intellectu concipiatur, nulla enim eſt neceſſitas fingendi hanc vnitatem, cum natura ipſa, nemine cogitãte, vnitatem quandã habeat realem, quæ, licèt ante abſtractionem, propter admixtionem pluralitatis numericæ, quam ex ſe habet, denominare illam non poſſit vnam ſimpliciter, poſita tamen abſtractione impedimentum iſtud remouente, pôteſt.

12 Dari autem, nemine cogitante, in natura hanc vnitatem, probatur. Tum quia natura humana, nemine cogitante, negationem habet omnium aliarum differentiarum eſſentialium, quæ non ſunt rationalitas, ſicut Petrus, præter ſuam indiuiduationẽ, habet negationem omnium aliarum differentiarum indiuidualium. Sicut ergò Petrus ab hac negatione dicitur vnus

numero

numero, ita natura humana, siue tota hominum multitudo, ab illa denominari poterit vna essentialiter. Tũ quia in tota hominum multitudine non datur illa notabilis diuersitas, quæ datur in multitudine conflatã ex Petro, & equo, Petrus enim non ita notabiliter differt à Paulo, sicut differt ab equo; sed habet cum illo similitudinem aliquam, & conuenientiam, quam non habet cum equo. Negatio ergò istius diuersitatis est formaliter aliqua vnitas, sicut ipsa diuersitas est aliqua pluralitas. Denique, si entitas Petri connotans negationem omnium aliarum rerũ est eius vnitas numerica, cur etiam tota hominum multitudo connotans negationem omnium aliarum rerum notabiliter diuersarum dici non poterit vnitas essẽtialis istius

mul-

multitudinis, siue naturæ humanæ.

13 Hæc tamen vnitas (quæ dicitur essentialis, quia toti solùm debetur hominũ multidini tanquã proprietas conuertibilis, sicut vnitas Petri dicitur indiuidualis, quia illi solùm indiuiduo conuertibiliter conuenit,) cum à parte rei admixtam habeat pluralitatẽ numericam, sicut vnitas numerica Petri habet admixtã multitudinem partium, est adeò imperfecta, vt simpliciter nomen vnitatis nõ mereatur, sed potius pluralitatis; verè enim Petrus, & Paulus, licèt notabiliter inter se non differant, simpliciter tamen loquendo sunt duo homines, non vnus, & hominum multitudo, licèt aliquo modo sit vna, est tamen simpliciter multitudo. Hinc ergò fit, vt appellari soleat, vnitas secundum

dum quid, nec ad denominā-
dam naturam, vnam simpli.
citer, & vniuersalem, sufficiat.

14 Quoniam tamen hæc vnitas fundamentum intellectui præbet multitudinem, hanc concipiendi per cognitionem quandam confusam, quæ nullam in ea discernens pluralitatem, omnibus, ac singulis in illa multitudine cōtentis sit applicabilis; hinc fit, vt, tali cognitione accedente, vnitas, quæ naturam in statu reali denominabat vnam solùm secundùm quid propter coniunctionem, quā in illo statu habebat cum pluralitate numerica, in hoc statu abstractionis illam denominet vnam simpliter, quia in hoc statu nullam amplius habet admixtam pluralitatē numericam, à qua eius effectus formalis impediatur, sicut impediebatur in statu reali;

li; nulla enim in cognitione apparet pluralitas.

15 Sicut ergò eadem magnitudo, & doctrina, quæ positæ in homine, dum est vir, non sufficiunt ad illum denominandum magnum, vel doctum simpliciter, sed solùm secundum quid, si in eodem ponantur, dum adhuc est puer, illum denominant magnum, & doctum simpliciter, quia homo, in eo statu pueritiæ, maioris staturæ, vel doctrinæ non est capax sicut est in statu virilitatis; Ita vnitas formalis, siue essentialis, quæ naturam in statu reali denominare non poterat vnam simpliciter, quia ibi à pluralitate numerica impediebatur, eandem in statu abstractionis, in quo hoc impedimentum non habet, denominare poterit simpliciter vnã, pro vt ad vniuersale requiri-

tur, cognitio autem dicitur abstractiua, quia ita multorũ conuenientiam, ac similitudinem repræsentat, vt diuersitatem, ac dissimilitudinem explicitè saltem non exprimat.

17 Ex hoc autem colligitur, naturam vniuersalem non denominari vnam simpliciter ab vnitate extrinseca cognitionis illam ab inferioribus abstrahentis, sicut denominatur cognita, & abstracta Tum quia natura, positâ cognitione abstractiua solùm tanquàm circumstantiâ, denominari sufficienter potest vna simpliciter ab vnitate essentiali sibi intriseca, sicut denominatur apta ab aptitudine intrinseca. Tum quia natura à cognitione abstractiua denominari non potest indiuisa in se, sed solũ in cognitione; vnum autem definitur indiui-

diuisum in se.

17 Neque obstat, quòd vnitas essentialis reperiatur in natura, etiam ante abstractionem, & dum est in statu reali; nam hoc non impedit, quin in statu abstractionis sit proprietas naturæ vniuersalis, in statu enim reali non reperitur cum ijs circumstantijs, cum quibus reperitur in statu abstractionis; sicut ergò calor, licèt reperiatur etiam in aëre, quia tamen coniunctus cum siccitate reperitur solùm in igne, est eius proprietas; ita vnitas formalis, licèt reperiatur in natura etiam, dum est in statu reali, quia tamen coniuncta cum abstractione fit vnitas simpliciter, in his circumstantijs esse poterit proprietas Vniuersalis.

18 Sicut autem vnitas, à qua natura vniuersalis denominatur vna simpliciter, non

est vnitas aliqua ficta, sed realis cõnotás abstracti- né, ita aptitudo, à qua denominàtur apta, nõ est aptitudo aliqua ficta, (consistens, vel in relatione quadam rationis, per quam natura abstracta reflexè comparetur cum indiuiduis, in quibus potest reperiri; vel in negatione indiuiduationum reflexè conceptà in eadem natura, per quam fiat multis communis;) sed realis. Primò quia nulla est necessitas fingédi in natura, quæ realiter est in multis, aptitudinem ad existendum in illis. Secundò, quia natura, nemine cogitante, non habet repugnantiam ad existendum in pluribus, cũ de facto sit in illis, sicut lapis, quia sursum mouetur, repugnantiã nõ habet ad motũ sursum.

19 Tertio denique, quia natura, inter sua prædicata

essen-

essentialia, nullum habet, cui repugnet multiplicatio essentialis, sicut habet Deus, cui, ratione suæ infinitatis, repugnat omnis multiplicatio, & in sententia Sancti Thomæ, etiam Angelus, cui, ratione suæ immaterialitatis, repugnat multiplicatio specifica; hæc autem non repugnantia sufficit ad denominandam naturam aptam; eo enim ipso quod aliquid non habet repugnantiam ad aliquid, habet potentiam ad illud, nec aliam potentiam habere potest natura ac existendum in multis, quam non repugnantiam, cũ hæc potentia ab ipsis multis realiter non distinguatur, sicut potentia ad existendum, ab ipsa existentià realiter non distinguitur.

20 Atque hinc tandem sequitur, naturam non denominari aptam; siue potentem esse

esse in multis à potentia aliqua extrinsecà potente ponere illa multa, sicut non denominatur vna ab vnitate extrinseca cognitionis; Primo enim nulla est necessitas ad hanc potentiam extrinsecam confugiendi, cum sufficiat intrinseca non repugnantia, quã natura realiter habet, positã tamen abstractione, per quã fit aptitudo vnius naturæ simpliciter, ideoque propria naturæ vniuersalis.

21 Secundo, potentia extrinseca intrinsecam non repugnantiam necessario præsupponit, ideò enim potentia producere potest plura similia, quia illa plura non habẽt repugnantiam ad existendũ, sicut habent plures dij, vel etiam, iuxta sententiam Sãcti Thomæ, plures Angeli similes in specie. Quemadmodum ergo lapis dicitur potẽs

mo-

moueri, non quia ad eius motum datur potentia, sed quia nullum habet prædicatum essentiale repugnans cum motu, sicut habet vbicatio ex se ad talem locum essentialiter determinata; ita natura vniuersalis denominabitur potẽs, & apta existere in multis, non à potentia aliqua extrinsecà, sed ab intrinseca non repugnantia, quàm habet ad existendum in illis.

22 Quod dictum est de aptitudine, applicari cum proportione potest etiam prædicabilitati, quæ est tertia proprietas naturæ vniuersalis; cum enim hæc nihil sit aliud, quàm aptitudo quædam, quã natura vniuersalis habet, vt de pluribus prædicetur, est denominatio illi intrinseca proueniens à nõ repugnantia, quam ipsa natura abstracta habet, vt ab intellectu succes-

siuè cũ pluribus inferioribus comparetur, ac de illis prædicetur; verè enim natura abstracta nullum habet prædicatum, ratione cuius illi repugnet hæc prædicatio de pluribus, sicut habent Deus, & indiuiduum.

23 Dum autẽ natura actu de pluribus prædicatur, suam vniuersalitatem non amittit, sed retinet, cum retineat adhuc vnitatem simpliciter, sicut illam habebat, dũ simpliciter apprahendebatur; experientia enim constat, naturam humanam eodem prorsus modo ex parte prædicati repræsentari, dum dicitur: *Petrus est homo*: ac repræsentetur, dum extra propositionem, homo simpliciter apprahenditur; tũc autem est vna simpliciter. Immò, si dum dicitur: *Petrus est æquus homo*: potest Petri indiuiduatio ex parte prædicati

cati non repræsentari determinatè, cur non poterit etiã, dum dicitur: *Petrus est homo*: non repræsentari simpliciter? non minùs enim prima affirmatio, prout fertur in prædicatum, est cognitio indeterminata, quàm secunda sit cognitio præcisiua. Cum ergò natura humana actu prædicatur de Petro, affirmatur solũ identitas inter illam, & Petrum, non explicando, an identitas illa sit adæquata, vel inadæquata, sicut explicatur identitas adæquata, dum dicitur: *Petrus est omnis homo*, & inadæquata, dũ dicitur: *Petrus est aliquis homo*.

24 Denique, vniuersale, cum fiat solùm per cognitionem confusam, & abstractiuam, fieri non potest ab intellectu diuino, sed solùm ab angelico, & humano, Deus enim nihil cognoscere confusè po-

test, sicut possũt homo, & Angelus, saltem in ordine ad aliqua obiecta supernaturalia. Quamuis autem sensus sua obiecta cõfusè possint cognoscere, facere tamen nõ posũt Vniuersale, quia abstrahere non possunt à loco, tempore, alijsque similibus circumstantijs, quæ appellantur indiuiduantes; quia solo indiuiduo per se conueniunt, vnde cognoscunt res semper, vt singularizatas; voluntas verò, licèt tendere possit confusè in plura, sicut tendit intellectus, propriè tamen non facit vniuersale, quia, cum in illa non tendat, nisi vt ab intellectu confusè iam cognita, supponit illud ab intellectu iam factum; propter quam etiam rationem, vniuersale non fit propriè per secundam, & tertiam operationem, quia operationes istæ illud per primã ap-

præ-

præhensionem supponũt iam factum.

# CAPVT VII.

## *De ente absoluto, & relatiuo.*

1 Diuiditur vltimò ens in absolutũ, hoc est carẽs vinculo, ab eoque quasi solutũ; & relatiuũ, hoc, est cũ alio quasi ligatũ; Relatio enim est nexus, siue ordo quidam vnius ad aliud, ratione cuius vnum, nec esse potest, nec perfectè cognosci sinè alio; sicut vnio est nexus, ratione cuius vnum separari ab alio non potest.

2 Dari autem, præter ens absolutum, etiam relatiuum, probatur primò, quia ille, qui est Pater, peculiari quodam vinculo connectitur cum eo,

qui eſt filius, quo non connectitur cum alijs hominibus, & potentia viſiua peculiari modo connectitur cum viſionibus, quo non connectitur cum alijs rebus; huiuſmodi ergo vinculum appellatur relatio. Secundò, quia experiẽtia conſtat, aliqua entia cognoſci à nobis non poſſe, niſi cum ipſis aliquod aliud ens cognoſcatur, ſic enim ſciẽtia cognoſci à nobis non poteſt ſinè obiecto, nec Pater ſinè filio, cùm tamen aliqua alia entia cognoſci poſſint ſola, vt ſunt lapis, albedo, &c. illud ergò, ratione cuius, vnum exigit non cognoſci ſolum, ſed ſemper ſimul cum aliquo alio, & per cognitionem ſolum comparatiuam, dicitur relatio; conceptui enim cõparatiuo, ſiue relatiuo correſpondere debet ſuum obiectũ, ſicuti correſpondet conceptui abſo-

absoluto. Tertio denique, quia ex eo, quòd in Deo, præter conceptus absolutos existentis, sapientis, immortalis, &c. dentur etiam conceptus relatiui, siue comparatiui, Patris, Filij, &c. colligunt communiter Theologi, dari in Deo veras relationes reales Patris, & Filij. Cum ergò similes conceptus dentur etiã in creati, & aliunde veræ relationes reales, etiam in creatis, non repugnent, admittedæ etiam in creatis erunt veræ relationes reales.

3 Neque obstat, quòd paternitas, quæ in Deo est substãtia, & personam Patris constituit, in nobis sit accidens: nam etiam scientia, iustitia, &c., quæ in Deo sunt substantia, in nobis sunt accidens, & tamen non propterea nobis negantur. Immo, si ex eo, quod in Deo detur sciẽtia,

tia, quæ realiter eſt ſubſtantia, rectè colligitur, dari etiã in creatis ſcientiam, quæ ſit accidens, cur ex eo, quòd in Deo dentur relationes Patris, & Filij, quæ ſint ſubſtantia, rectè colligi non poterit, dari etiam in creatis ſimiles relationes, quæ ſint accidens, cũ aliunde non implicent?

4 Relatio alia eſt ſubiecto eſſentialis, & dicitur tranſcẽdentalis, quia vagatur per omnia prædicamenta, & in entibus omnium prædicamẽtorum reperitur; alia eſt ſubiecto accidentalis, & dicitur prædicamentalis, quia, propter peculiarem modũ, quem habet afficiendi primam ſubſtantiam, conſtituit peculiare prædicamentum à cæteris omnibus diuerſum.

5 Ad omnem autem relationem tria neceſſariò requiruntur, ſcilicèt, fundamentũ, ter-

terminus, & ratio fundandi. Fundamentum eſt ſubiectũ, ex quo relatio immediatè reſultat; terminus eſt id, quod à relatione reſpicitur, & cum quo fundamentum connectitur; ratio denique fundandi eſt conditio, ſinè qua in fundamento ad terminum non conſurgit relatio; ſic genitor eſt fũdamentum paternitatis, quia per illam refertur ad filium, genitus eſt terminus, quia cum illo connectitur Genitor, & generatio eſt ratio fundandi, quia ſinè illa Genitor non connecteretur cum Genito.

6 Ad omnem ergò relationem tria iſta neceſſariò requiruntur; fundamentum quidẽ & terminus, quia relatio, cũ ſit nexus, duò ſaltem extrema requirit, quæ connectat; ratio verò fundandi, quia non inter quæcunque extrema

datur relatio, sed solùm inter illa, in quibus ratio aliqua fundandi reperitur, quæ propterea dicitur etiam conditio, quia sinè illà res nō sunt aptæ fundare, vel terminare relationem. Vnde est quoddam quasi signum, per quod relatiua discerni possunt ab absolutis.

7 Porrò, ratio fundandi nihil est aliud, quàm connexio aliqua essentialis, ratione cuius vnum, alio implicante, implicaret, quæ enim, alio implicante, remanere adhuc possunt, nulla est ratio, cur cum illo connectantur. Sic scientia, quia, implicante obiecto, implicaret, cum illo connectitur, & ad illud refertur. Contra verò obiectum, quia, implicante scientià, non implicaret, sed adhuc remaneret, ad illam non refertur, nec cū illa vllo modo cōnectitur.

8 Tri-

8 Triplex autem aſſignari ſolet ratio fundandi, ſcilicèt vnitas, & numerus, hoc eſt, rerum conuenientia, & diſcõuenientia in eſſentia; actio, & paſſio; & ratio menſuræ, ac menſurati, quæ enim eandẽ habent eſſentiam, vt duæ albedines, cum eadem participẽt prædicata eſſentialia, ita ſe habent, vt ſi vnius eſſentia repugnet, alterius etiam eſſentia ſit impoſſibilis, & è cõtra; ſi verò differant in eſſentia, ideoque in ſolo genere conueniant, vt albedo, & nigredo, tunc etiam in poſſibilitate ſe mutuò inferunt, ſub eodem enim genere vniuoco, ſi vna differentia eſt poſſibilis, etiam alia debet eſſe poſſibilis, & è contra. Similiter quæ habent rationem cauſæ, & effectus, hanc mutuam, vel poſſibilitatem, vel impoſſibilitatem,

plerumque habent; Si enim filius implicaret, implicaret etiam potentia generatiua Patris, quia esset omninò inutilis, & hac implicante, etiam filius implicaret, quia non haberet, à quo procederet. dixi tamen, plerumque; quia aliquando etiam potentia causæ non pendet à possibilitate effectus; sed in hoc etiam casu sufficienter mutuò connectuntur per actionem. Denique, quæ ab alio dependent tanquam à mensura suæ perfectionis, ita cum illo connectuntur, vt illo implicante implicarent, quia respectu illius habent quasi rationem medij, medium autem, implicante fine, esset inutile, ideoque implicaret.

9. Iuxtà triplicem hanc fúdandi rationem, triplex datur genus relationis; aliquæ enim relationes dicuntur fundari in vnita-

vnitate, & numero, & hæ, si sint inter substantias, appellãtur identitas, & diuersitas, si sint inter quantitates, æqualitas, vel inęqualitas, si inter qualitates, similitudo, & dissimilitudo, & ad has, aliæ omnes, educuntur, vt propinquitas, vel distantia, quæ reperiuntur in vbicationibus, & coëxistentia, quæ est inter durationes. Aliæ dicuntur fundari in actione, & passione, & hæ, si actio sit vera productio, in viuentibus quidem appellantur paternitas, & filiatio, in alijs verò rebus cõmuni nomine vocantur relationes, causæ & effectus: Si verò actio non sit vera productio, vt emptio, inuentio, donatio, doctrina, &c. appellantur, dominium, relatio Præceptoris, &c. atque ad hæc duo relationum genera, prædicamentales omnes reducũtur,

tur, ſicut ad relationes fundatas in menſura, & menſurato, reducuntur omnes tranſcendentales.

10 Iam verò, præter relationes tranſcendentales, dari etiam, nemine cogitante, prædicamentales, quæ fundamento ſint accidentales; probatur. Tum quia, nemine cogitante, dantur aliquæ denominationes reales relatiuæ, & ſubiecto accidentales, vt ſunt denominatio ſimilis, Patris, Domini, &c.; Denominatio autem realis nihil eſt aliud, quàm forma realis in ſubiecto. Tum quia verè Pater peculiari quodam modo connectitur cum filio, & ſeruus cũ Domino, quomodo non connectuntur cum alijs hominibus.

11 Huiuſmodi autem relationes, cum ſint fundamento proximo accidentales, nonminus,

minus, quàm accidentale sit cibis, esse cœnam, identificari cum illo adequatè non possunt, sicut identificatur transcendentalis; illud enim, quod perit, altero remanente, includere necessariò debet aliquid ab eo, quod remanet, vel actu, vel potentia distinctum, cum idem à se ipso separari omninò non possit: Cũ ergò relatio predicamentalis pereat, eius fundamento proximo remanente, (vt contingit, cum, pereunte Genito, perit in Genitore paternitas, ipso Genitore remanente,) cum solo fundamento proximo identificari non poterit, sed aliquid aliud includet à fundamento proximo realiter distinctum; sicut cœna, præter cibos, includit tempus vespertinum realiter ab illis distinctum.

12 Neque dici potest, quòd pereun-

pereunte Genito, pereat in Genitore paternitas solùm quo ad denominationem, vel conceptibilitatem, non verò quo ad entitatem, eo quòd intellectus, pereunte Genito, fundamentum amplius non habeat illam concipiendi, & per illam denominandi Genitorem. Nam paternitas non est solùm nomen, vel conceptus, sed est res aliqua significata per nomen, & per conceptum Patris repræsentata. Si ergò, pereunte Genito perit paternitas, perit aliqua entitas realis, & non sola denominatio, vel conceptus; inintelligibile enim est, quod eadem forma in eodem subiecto manens, nullà factà variatione, vel in formà, vel in subiecto, illi denominationem modo tribuat, modò non tribuat.

13 Similiter, relatio præ-

dicamentalis non est, duo solum absoluta æquæ principaliter concepta, & in recto. Tum quia conceptus concipiens duo absoluta in recto nullā exprimit connexionem inter illa, sed solā eorū existentiam: vt cùm dicitur: *Creatura Deus: palliū Petrus: &c.* conceptus autem relatiuus, præter extrema, aliquam etiam connexionem exprimere debet ab ipsis extremis, vel realiter distinctā, vel indistinctā vt cum dicitur: *Creatura Dei:* tunc enim exprimitur connexio dominij, quam Deus habet cum Creatura, vel dependentiæ, quam Creatura, habet à Deo. Tum quia, si relatio prædicamentalis esset duo absoluta accepta in recto paternitas, & filiatio, nullo modo ab inuicem distinguerentur; paternitas enim esset Genitor, & Genitus; filiatio verò,

verò, Genitus, & Genitor; qui duo conceptus inter ſe non diſtinguuntur.

14 Denique, relatio prædicamentalis non eſt modus aliquis à fundamento, termino, & ratione fundandi realiter diſtinctus. Primò quia fundamentum, poſito termino, & ratione fundandi, eſt ſufficienter, ſe ipſo, cum termino connexum, ſicut Deus, poſita Creaturà, eſt illi ſufficienter præſens, ſe ipſo; vna enim albedo, ratione ſuæ vnitatis ſpecificæ, habet quidquid requiritur ad hoc, vt, alià poſità, ſit illi ſimilis, ſicut Deus, ratione ſuę immēſitatis, habet quidquid requiritur ad hoc, vt, poſità Creaturà ſit illi præſens: Secundo quia fundamento ita accepto applicari poſſunt omnia, quæ tribuuntur communiter relationi, cum nihil aſſignari

poſſit,

possit, quod illi non conueniat; Tertio quia fundamentum, posito termino cum cæteris requisitis, non est indifferens, vt cum illo connectatur, vel non connectatur, sicut materia, etiam positâ formà, est indifferens vt illi vniatur, vel non vniatur, tunc autem solùm connexio est modus superadditus, quando extrema existere possunt, & nō esse connexa.

15 Quarto denique, quia relatio, per quam vna multitudo est alteri æqualis, non potest esse modus aliquis ipsi multitudini superadditus, cū multitudo non sit vnum subiectum, sed multa, ideoque incapax vnius modi, non minùs autem à naturà intenditur æqualitas duarum multitudinum, quàm duarum magnitudinum, non minus enim intendit natura, quod digiti

ma-

manus dexteræ ſint æquales digitis manus ſiniſtræ, quàm intendat, quòd magnitudo manus dexteræ, æqualis ſit magnitudini manus ſiniſtræ. Si ergò ſine vllo modo ſuperaddito natura obtinere ſemel ſufficienter poteſt æqualitatem, quam intendit in multitudine, cur illam obtinere non poterit etiam in magnitudine, cum omnia, quæ de vna verificantur, æquè verificentur etiam de alia?

16 Neque obſtat primò, quòd ſinè modo ſuperaddito explicari non poſſit, quid ſit ſimilitudo in communi; nam quidquid ab Aduerſarijs aſſignabitur pro fundamento proximo ſimilitudinis, hoc ipsũ per nos erit ſimilitudo; huic enim aplicari omnia poterũt, quæ tribuuntur communiter ſimilitudini. Relatio ergo ſimili-

militudinis sunt duo qualia, vnicà definitione definibilia; sic enim eius conceptus sufficienter assignatur.

17 Neque obstat secundò, quòd relatio, cum terminum respiciat existentem, respicere debeat terminum à se distinctum, ne respiciat se ipsā; nam, cum relatio eo solùm modo requirat terminum existentem, quo modo, totum exigit suas partes existentes, & productio actus vitalis ipsum actum vitalem, eo etiam modo sufficit, vt à termino distinguatur, quo totum à singulis partibus distinguitur, & productio actus vitalis ab ipso actu vitali.

17 Ex quo etiam patet, quid respondendum sit, cùm dicitur: relatio est ad aliud; ergo ab illo alio distinguitur: distinguendum enim est antecedens; relatio est ad aliud

distinctum ab ipsa relatione, nego antecedens; est ad aliud distinctum à fundamento, quod, per illam refertur, concedo antecedens.

19 Nequè obstat tertiò, quòd si relatio non esset modus fundamento superaditus: relatiua à connotatiuis non distinguerentur: nam verè non distinguuntur, ipsa enim relatio est aliqua species termini connotatiui; distinguũtur tamen relatiua a puris cõnotatiuis, quia pura connotatiua sunt illa omnia, quæ carent aliquà ex conditionibus ad relationem requisitis, vt contingeret, si fundamentum, vel terminus non essent ens reale positiuum, si actu non existerent, si non haberent rationem fundandi, &c.

20 Neque ex eo, quod fũdamentum transire non possit ab esse absoluto, ad esse relatiuum

tiuum sinè aliquo superaddito, inferri potest illud superadditum esse modum aliquem fundamento intrinsecum; nã fundamentum transire sufficiẽter potest ab esse absoluto ad esse relatiuum per solam termini positioné, sicut Deus ex non præsente, fit de nouo præsens Petro per solam positionem ipsius Petri.

21 Deniq. non obstat, quòd crescente fundamento, decrescere possit relatio, (vt contingit, cum, ex duobus albis vt quatuor, vnum vlterius dealbatur, in quo casu, quo magis crescit albedo, eo magis similitudo decrescit,) nam, licèt crescat tunc fundamentum materialiter acceptum, siue illud album, quod dicitur fundamentum, non crescit tamen fundamentum acceptum formaliter, quia non crescit ratio fundandi, à qua

al-

album formaliter habet, vt sit fundamentum; hæc enim, cum consistat in vnitate, vel diuersitate intẽsiua graduum albedinis, potiùs decrescit, quàm crescat; quo enim vnũ fit magis album, eò etiam fit ab altero, in gradu albedinis, magis diuersum.

22 Quòd autem intellectus comprehendere possit, tam fundamentum, quàm terminum, & tamen non certificari de relatione, non probat, relationem à fundamento, & termino magis distingui, quam rationem fundandi; sicut enim per duas cognitiones absolutas comprehendere potest intellectus duo alba, quin de eorum similitudine certificetur, ita eadem alba comprehendere potest, quin certificetur de eorum ratione fundandi; vel si ad hãc cognoscendam determinatur, etiam

etiam ad illam.

23 Neque ex eo, quòd relatio exigat concipi per vnicum conceptum simplicem, ac indiuisibilem, inferri potest, quòd sit conceptus aliquis obiectiuus simplex, ac indiuisibilis; nam etiam conceptus formalis substantiæ cõpletæ est vnicus, & indiuisibilis, & tamen conceptus obiectiuus, in homine, cæterisque entibus materialibus est aliquid compositum, licèt in Angelo sit aliquid simplex, ac indiuisibile. Sicut ergò materia, forma, & vnio, quia in ordine ad exigendam subsistẽtiam æquiualent Angelo, esse possunt fundamentum vnius conceptus simplicis, scilicet substantiæ completæ; ita fundamentum cum termino, cæterisque ad relationem requisitis, cũ æquiualeat simplici relationi, quã vnio dicit ad suã

cienter est terminus, & ratio fundandi; sicut, vt cibi fiant cœna, sufficit tempus vespertinum.

25 Terminus tamen, vt relationem constituat, esse debet actu existens; relatio enim respicit terminum solùm, vt actu existentem; sicut requirit fundamentum solū vt actu existens. Primo quia relatio est nexus actualis, non minùs, quàm actio, & vnio; nexus autem actualis sua extrema respicit solùm, vt actu existentia. Secundo quia homines communiter parietem album dicunt esse dissimilem parieti nigro, non possibili, sed solū actu existenti. Tertio quia, cùm paries niger de nouo dealbatur, alius paries albus ex dissimili fit illi de nouo similis, & tamen ille etiam antequam dealbaretur, erat possibiliter albus. Quarto denique,

quia relatio sequitur ad rei entitatem, vt existentem, non minus, quàm actualis distinctio. Sicut ergò paries albus actu non distinguitur, nisi ab alio pariete existente, ita non est similis alteri parieti albo, nisi actu existenti.

26 Denique terminus à relatione prædicamentali respicitur sub ratione, non respectiui, sed absoluti; tum quia relatio est nexus absolutorum; tum quia etiam fundamentũ respicitur sub ratione absoluti; tum denique quia nõ ideo Pater refertur ad filium, quia filius refertur ad Patrem, sed quia est genitus à Patre; ex quibus omnibus sequitur, relationem prædicamentalem à transcendentali non distingui per hoc, quod hæc non requirat terminũ existentem, illa verò requirat; nam multæ etiam relationes transcenden-

tales terminū requirunt actū existentem, vt sunt actio, vnio &c. sed per hoc quod relatio trāscēdentalis sit fundamēto adęquatè intrinseca, & essētialis, prædicamentalis verò partialiter extrinseca, & accidētalis.

# CAPVT VIII.

## *De ente negatiuo.*

1 ENti reali positiuo opponitur negatiuum, ita dictum, quia non tam est ens, quàm entis negatio, licèt æquiuocè, & per abusum vocabuli dicatur ens, sicut hominis statua abusiuè solùm dicitur homo. Agitur autem in Metaphysica etiam de ente negatiuo, quia eius cognitio, ad ens positiuum melius cognoscendum, maximè iuuat, cùm opposita iuxtà se posita

magis elucescant.

2 Porrò negatio nihil est aliud, quàm carentia, siue non esse rei, vel completæ, vt est negatiò antichristi; vel incompletę, vt est negatio formæ; quæ, si connotet subiectum aptum recipere formã negatam, vt est carentia animæ in corpore, dicitur priuatio, si verò connotet subiectũ ineptum, vt est carentia quãtitatis in Angelo, communi nomine appellatur negatio; & quidem, si res negata sit aliquid impossibile, vt est cẽtaurus, eius negatio dicitur necessaria, si verò sit aliquid reale creatum, vt est alius mundus, eius negatio dicitur contingens.

3 Dari autem realiter, hoc est, nemine cogitante, rerum negationes, ac priuationes, negari omnino non potest; verè enim, nemine cogitante,

noctu

noctu in aëre non est lux, nec datur alius Mundus, nec centaurus. Quòd verò sint aliquid contradistinctum ab omni ente reali positiuo, & non solũ ipsum ens positiuum quatenus incompossibile cum alio ente, illudque excludens: probatur primo, quia noctu, manente aere, & sublato quocũque ente reali positiuo, aer est tenebrosus, verè enim non habet lucem. Secundò, quia aliquod motiuum habet noctu intellectus ad negandum dari tunc in aere lucem, quod motiuum non habet in meridie, hoc autem esse non potest solus aer, & lux, cum ista dentur etiam in meridie, & tamen tunc intellectus non habeat motiuum ad negandũ dari in aere lucem: Debet ergò esse aliquid aliud, & hoc, est negatio.

4 Hæc autem ratio exten-

di etiam, potest ad negationes rerum impossibilium; nã assignari etiam debet motiuũ quod intellectus habet ad negandum, Verbum esse creaturam; hoc autem esse non potest solum Verbum, & creatura; nam hoc totum datur etiam in propositione affirmatiua, & tamen Arrius non mouebatur ad negandum, sed potius ad affirmãdum, Verbũ esse creaturam. Aliquid aliud ergo debet esse, & hoc est negatio identitatis inter Verbum, & Creaturam.

[1]5 Tertiò quia, cũ omnis propositio cõtingẽs suũ habere debeat verificatiuũ, negatiua, aliud habere nõ potest, quam meram negationẽ, sicut affirmatiua habet existentiam: cur enim vera est propositio quæ negat Puerum habere doctrinam? certe non quia datur Puer, & doctrina, nam

hæc

hæc darentur etiã si Puer doctrinam haberet, & tamen tunc propositio esset falsa: aliquid aliud ergo ad eius veritatem requiritur; hoc autem est negatio, quam percipit intellectus dum negat, rem esse, sicut, dum asserit illam esse, percipit existentiam.

6 Quarto, quia in mutatione sæpè assignari nõ posset terminus à quo ad omnem mutationem per se requisitus hic enim sæpè est solum aliquid negatiuum, vt, cum aer à tenebris transit ad lucem; vel Puer ab ignorantia ad doctrinam, in quibus casibus assignari non potest in termino à quo forma vlla positiua, quę cum formà introducenda sit incompossibilis, sicut assignari potest, dum lignum à frigore transit ad calorem, lumen enim non habet contrarium; & doctrinæ positiuè opponi-

tur error, non ignorantia.

7 Neque dici potest, terminum à quo tunc esse, causam proximam priuationis, siue id, ratione cuius forma non est in subiecto; nam plerumque etiam causa proxima priuationis aliquam negationẽ necessariò includit; si enim queratur, cur in Puero sit ignorantia, respondetur, quia nõ studuit, & si iterum quæratur, cur non studuerit, iterum respondebitur, quia à Parentibus non fuit ad studia applicatus, & hoc quia Parentes de studio non cogitarunt, &c. vnde causa proxima, ipsa quoque, sine aliqua negatione haberi sæpè non potest.

8 Neque recurri tandem potest ad Dei decreta, dicendo, Parentes non cogitasse, quia Deus noluit; tum quia de diuino decreto nullo modo verificari potest, quòd sit nega-

negatio; neque enim ignorātia, quæ eſt in Puero, eſſe poteſt decretum Dei, cum illa dicat in ſuo conceptu imperfectionem, hoc non dicat, illa ſit in Puero, hoc in Deo: tum quia, Deum nolle, in Puero eſſe doctrinā, nihil eſt aliud, quàm eſſe Deum, & negationem doctrinæ in Puero, decreta enim libera Dei, iuxta probabiliorem ſententiam theologicam, nihil ſunt aliud, quā infinita perfectio diuinæ voluntatis connotans hoc, vel illud obiectum creatum, per quod fit volitio huius, vel illius obiecti, eo modo, quo potentia materiæ, quæ ex ſe eſt reſpectus ad omnes formas, fit reſpectus ad hanc, vel illā in particulari, per hoc, quod hanc, vel illam connotet.

9. Denique, ſi negatio non eſſet aliquid cōtradiſtinctum ab omni ente reali poſitiuo,

assignari non possent extra Deum termini mutationis, quæ extra illum fit, dū Creatura aliqua ab ipso destruitur, dum enim substantia panis annihilatur in hostia, si panis negatio non daretur, quinam esset tunc extra Deum illius annihilationis terminus, ad quem? Præterea quodnam obiectum haberet decretum, quo Deus potuit, vel nolle producere vllam Creaturam, vel velle omnes destruere? tunc enim nihil daretur extra Deum, nisi sola negatio omnis Creaturæ. Si ergò hæc nō daretur, nullū haberet obiectum. Propter hæc igitur, fatendum omninò videtur, negationes, ac priuationes esse aliquid ab omni ente reali positiuo contradistinctum.

10 Hæ tamen negationes nullum aliud prædicatum habent intrinsecum, quā non

non esse rem, siue esse verificatiuum propositionis negatiuæ, sicut ens positiuum est verificatiuum affirmatiuæ; cætera verò prædicata, quæ illis communiter tribuuntur, vel sunt illis, aut totaliter, aut partialiter, extrinseca, vel illis conueniūt solùm æquiuocè, & per abusum vocabuli, vt cū dicuntur existere, esse, &c. cū enim negationes cognosci à nobis non possint, nisi per species entis positiui, hinc fit, vt illis sæpè plura tribuamus prędicata entis positiui propria, quæ tamen illis verè non magis conueniunt, quàm homini statuæ, aut picturæ conueniat, esse rationalem, aut risibilem.

11 Vt ergò omnes tollantur æquiuocationes, cum de negationibus fiunt propositiones, quibus aliquod de illis prædicatum affirmatur, vt cū

dicitur, *negatio datur, negatio est vna, dantur infinitæ negationes, negatio est ab æterno, & aliæ similes*, resoluendæ semper esunt in propositiones negatiuas æquiualentes, dicendo, *nõ datur res negata, res negata non est vna, non sunt infinitæ, nõ sunt ab æterno; &c.* sic enim difficultates omnes, quæ circa negationes fieri solent, statim euanescent, quia omnes oriuntur ex modo, quo illas, vel concipimus, vel explicamus.

12 Denique, negationes, licèt à sensibus cognosci propriè non possint, quia sensus ad obiectum aliquod cognoscendum eius indigent specie sibi impressà, quam speciem negationes non habent, cognosci tamen aliquo modo possunt quasi æquiualenter, quatenus sensus cœteras rei perfectiones percipientes, inter

ter illas, formam, siue perfectionem negatam non percipiunt; sic enim canis venaticus reliquos percipiens odores, & inter illos, odorem leporis non percipiens, percipere dicitur negationem odoris, determinaturque ad non vlterius progrediendum; & nos, dum omnia aeris prædicata cognoscimus, & inter illa non cognoscimus lucem, dicimur ab aliquibus cognoscere tenebras, & Deus ipse, dum Mundum hunc perfectissimè cognoscens alium in eo Mundum non videt, vel prædicata hominis essentialia cōpræhendens, inter illa, prædicatum equi non cognoscit, negationem alterius Mundi, vel centauri, cognoscere dicitur.

# CAPVT IX.

## De ente rationis.

1 SIcut enti positiuo opponitur negatio; ita enti reali opponitur ens impossibile, siue fictum, & rationis; ita dictum, quia, licèt, dum cognoscitur, aliquod habeat esse à cognitione, nullum tamen aliud esse, aut habet, aut habere potest, quàm fingi ab intellectu; est enim tale, vt, si poneretur à parte rei, includeret duo cōtradictoria, & si intellectus illud admitteret, admittere cogeretur duas propositiones contradictorias, vnde definiri solet: id, quod habet esse obiectiuè tantùm in intellectu: per hoc enim distinguitur tam à sole cognito, qui

præter esse cognitum, aliud habet esse reale à parte rei; & à cognitionibus, quæ non obiectiuè sunt in intellectu, sed subiectiuè; ac tandem à negationibus, quæ, præter esse cognitum, habent etiam nemine cogitante suum esse abusiuum, vel actuale, vel possibile. Agitur autem de ente rationis in Metaphysica, vt, eo cognito, ens reale perfectius cognoscatur.

2 Dari es rationis, hoc est, intellectum concipere posse ex parte obiecti aliquod ens impossibile, constat primò experientia; dum enim concipimus Centaurum, experimur nos concipere, non solū hominem, & equum separatos, sed vnitos; immò identificatos, & tanquam vnum animal reale; concipere enim hominem, & equum separatos, non est concipere Ce-

taurum; vnio ergò ista, siuè identitas, quam, præter hominem, & equum, concipit intellectus, est aliquid omninò impossibile, & intellectui tantùm apparens.

3 Secundo, quia, dum Hæreticus Arrianus affirmat, Verbum esse Craturam, appræhendere necessariò debet, non solùm Verbum diuinum, & Creaturam, sed Verbum diuinum, vt identificatum cum Creaturà, & tanquam aliquid vnum cum illà; intellectus enim, sicut nihil affirmare potest sinè motiuo, (cū sit potentia rationalis, quæ aliquam semper habere debet rationem cur affirmet potiùs, quàm neget,) ita ad affirmādum, nullam aliud habet motiuum, quàm identitatem, quam apprehendit inter subiectum, & prædicatum: Et hæc quidem in affirmationibus

bus veris, qualis est; *homo est animal*; verè datur; in falsis verò, qualis est; *Aethyops est albus*; non datur, sed dari potest; in impossibilibus tandem qualis est; *Verbum est Creatura* nec datur, nec dari potest.

4 Sicut ergò intellectus, dũ affirmat, hominem esse animal, à reali identitate, quam inter hominem, & animal apprehendit, mouetur ad hoc affirmandum; ita, cùm affirmat, Verbum esse Creaturã, moueri debet ab identitate aliquà impossibili, quam inter Verbum, & Creaturam apprehendit.

5 Neque dici potest, non moueri tunc intellectum ab vlla identitate inter Verbum, & Creaturam appræhensà, sed immediatè ad assensum determinari, à tali terminorũ appræhensione, quæ ex modo tendendi vnitiuo, quem ha-

habet, in suum obiectum, est determinatiua potiùs ad assensum, quàm ad dissensum; Nã, cur apprahensio ista est determinatiua potiùs ad assensum, quàm ad dissensum? certè non nisi, quia ex parte obiecti repræsentat identitatem, quam alia appræhensio non repræsentat. Præterea, ad concipiendum Cẽtaurum non est satis concipere hominem, & equum quomodocunque, sed concipi debent aliquo modo vniti Si ergo non concipiuntur vniti per identitatem aliquam obiectiuam, concipi debebunt vniti per appræhensionem, vel iudicium aliquod illos extrinsecè coniungens; hoc autem est manifestè contrà experiẽtiam, dum enim appræhendimus Centaurum, experimur, nos non concipere appræhensionem, aut iudicium

vllum

vllum possibile coniungens hominem cum equo; sed potius vnionem aliquam similẽ illi, quæ inter partes equi realis reperitur.

6 Denique, si Hæreticus Arrianus, dum asserit, Verbũ esse Creaturam, reflectendo suprà suum assensum iudicet, assensum illum esse verum, ideoque suo obiecto, ac verificatiuo conformem; cur in hoc saltem casu, ex parte obiecti identitatem Verbi cũ Creatura non apprehendet? hæc enim sola tunc comparari reflexè potest cum illo assensu, tanquam eius verificatiuum, ac motiuum.

7 Huiusmodi tamen ens impossibile concipi nunquam potest ab intellectu, solum, & per proprias species, sed concipi semper debet simul cum illis entibus realibus, quorum speciebus vtitur

ad

ad illud concipiendum, siue ad quorum similitudinem illud concipit; Si enim Angelum, & entia futura, vel possibilia cognoscere nunquam potest intellectus, sola, sed sẽper simul cum rebus, per quarum species illa concipit; multò minùs cognoscere poterit, solum, ipsum ens impossibile, cuius species proprias nõ habet; Vnde etiam est obiectum intellectus solùm secũdarium: Sicut ens reale, quia cognoscitur per species non alienas, sed proprias, quas regulariter, vel producit, vel saltem in aliquo statu exigit, dicitur obiectum primarium & ab intellectu primariò cognoscibile.

8 Neque obstat, quòd affirmatio, & negatio idem prorsus habeant obiectum, sicut habent etiam volitio, & nolitio, differantque solùm per

per diuersum modum, quo in illud tendunt, quatenus affirmatio tendit vniendo prædicatum cum subiecto, negatio verò vnum ab alio separando, vnde etiam prima dicta est compositio, secunda verò diuisio. Nam, quamuis hoc sit verum, adhuc tamen, præter obiectum affirmatum vel negatum, aliquod motiuum habere debet intellectus ad affirmandum potiùs, quã ad negandum; hoc autem, in affirmationibus impossibilibus, aliud esse non potest, quã identitas aliqua impossibilis; sicut in affirmationibus veris, est identitas vera, & realis; quæ tamen non affirmatur, sed est solùm motiuum ad affirmandum.

9 Deniquè, ens impossibile fit, non ab intellectu solùm humano, sed etiam ab angelico, & diuino; Deus enim

Centaurum cognoſcit, non ſolùm quatenus eſt terminus illius cognitionis, per quam à nobis fingitur, dum illam compræhendit; ſed etiam immediatè, & in ſe ipſo; independenter enim à quocumq; intellectu ſcit Deus; centaurum exiſtere non poſſe, mendacium ſibi eſſe diſconueniēs ac impoſſibile, & alia ſimilia, cùm hæc aliquam veritatem contineant, & Deus omnem cognoſcat veritatem. Quam uis autem tunc Deus res cognoſcat aliter, ac ſunt, hoc tamen nullam dicit, aut arguit imperfectionem; quam enim dicit imperfectionem, cognoſcere res aliter, ac ſunt, illas non affirmando, ſed negando? certè neque dicit falſitatem, neque obſcuritatem, nec alia aſſignari poteſt imperfectio, quam dicat; & aliunde Deus ita, pluribus modis, can-

eandem cognoscit veritatem; quod, cum sit aliqua perfe-ctio, Deo denegari omninò non potest.

10 Præter intellectum tamen, nulla alia potentia efficere propriè potest ens rationis; Et sensus quidem externi illud non faciunt; quia, sicut sola cognoscũt accidentia, ita nunquam apprehendunt vnum accidens, vt idẽtificatum cum alio; neque enim oculus, dum baculum videt in aqua curuum, rectitudinem componit cum curuitate, cum, quid sit rectum, quid curuum non cognoscat: Immò neque tunc fallitur, licet intellectui det occasionẽ errandi, iudicando, quòd baculus rectus sit curuus; phãtasia verò illud nõ facit, quia, & sola repræsentat accidẽtia, & illa nullo modo identificat, & quidquid repræsentat, totum

tum produci poteſt à Deo. Voluntas denique ens rationis non efficit, quia non dat illi primò exiſtentiam; cum enim amare non poſſit, aut deſiderare centaurum, niſi hic illi prius ab intellectu proponatur, conſequenter ſupponit illum ab intellectu iã cognitum, & factum.

11 Atque hæc ex vniuerſa Philoſophia curſim attigiſſe ſit ſatis; è quibus, ſi multa nos ignorare cognouimus, immò nos ipſos; ſi hoc vnum aperte vidimus, nos, etiam in ijs, quæ cognitionis lumine aſſequimur, cæcutire; ſi Diuinam in rebus omnibus, & venari, & venerari ſapientiã noſtrarum parentem artium didicimus, Philoſophi ſumus, immo ſapientes. Cœterum, ſi hoc minimè comparauimus, talpæ ſumus, veſpertiliones, ac noctuæ, & poſt labores innu-

numeros, post tricas, ambagesque difficultatum, cum ignauiæ minotauro claudimur in labyrinto: sola quippe Prima Veritas est, quæ affusã dissipat humanæ menti caliginem; quæ facem præfert, semitamque lucis ostendit, ne rerum difficilium in cognitione prolabamur; ab hac quicumque aberrat, corruit; qui hanc sequitur, post litterarũ studia, tandem lumen illud accendit, in quo videbimus Deum, sicuti est.

LAVS DEO.



# INDEX

## RERVM NOTABILIVM.

### METAPHISICAE.

Primus numerus Paginam, Secundus numerum significat.

## B

### Bonum



## C

### Causa



### Christus



### Cognitiones præcisiuæ



### Corpus



Cor-

# E

Essentia



Existentia



F



G

Gradus Metaphysici

*Quod.*

# P

## Persona



## Possibilitas



## Potentia obedientialis



## Prædicabilitas Vniuersalis



## Prædicatum



## Præcisio



## Priuatio

Q

Qualitas



Quantitas



R

Relatio



Relatio Prędicamentalis



men-

## S

### Singulare



### Subsistentia



### Substantia



### Suppositum

## V

### Vbicatio



### Verbum Diuinum



### Veritas



### Vnio



### Vnitas, Vnum

Vniuersale



